



**Ad Nicolai Selnecceri librum, qvi inscribitvr Necessaria et brevis repetitio, etc. In qvo exegesis Saxonica oppugnatur. Brevis, modesta, et necessaria, Lamberti Danaei Responsio.**

<https://hdl.handle.net/1874/430005>

AD  
NICOLAI  
SELNECCERI  
LIBRVM, QVI  
INSCRIBITVR

NECESSARIA  
ET BREVIS RE-  
PETITIO, &c.

IN QVO EXEGESIS *scilicet*  
Saxonica oppugnatur.

BREVIS, MODESTA, ET NE-  
CESSARIA, LAMBERTI DANAEI  
Responsio.



GENEVAE,  
Apud Eustathium Vignon.

M. D. LXXIX.

AD

NICOLA

SELMECERI

LIRIVM QVI

LIBRARIUS

W E C E S S A R I A

BE BERNIS RE

LIBRARIUS


IN GOD EXERCISE

LIBRARIUS

LIBRARIUS MODERATA ET NE

LIBRARIUS MODERATA ET NE

LIBRARIUS



LIBRARIUS MODERATA ET NE

LIBRARIUS MODERATA ET NE



A D

NICOLAI SEL-  
NECCERI LIBRVM  
QVI INSCRIBITVR

NECESSARIA, ET  
*breuis repetitio, &c.*



IN QVO EXEGESIS SAXO-  
NICA OPPVGNATVR.

Breuis, modesta & necessaria Lamberti  
Danzi responsio.



D I T I sunt à Nicolao Sel-  
neccero Anno Domini M. Ds  
LXXVIII. libelli duo: quorū  
vnus inscriptus est, *Confutatio*  
*accusationum*; alter, *Necessaria*  
*breuis repetitio simplicis, vera, & perspicua*  
*doctrinae de Cæna Domini, &c.* paris quidem  
argumenti, sed tamen diuerso tempore scri-  
pti, quorum qui posterior esse debuit, & *Con-*  
*futatio* appellatur, quēmq; denum anno  
M. D. LXXVIII. mēse Iulio meditatus fuit,  
is in fronte voluminis à Selneccero colloca-  
tus est, & in ipso volumine est prior: qui verò  
& temporis, & naturæ ipsius lege prior erat;

& inscribitur, *Repetitio doctrina*, posterior tamen est à Selneccero factus. Vtrūque fortasse non abs re, neque sine iudicio: quoniam id quoque Rhetores nonnunquam fieri præcipiunt, vt Refutatio confirmationem præcedat: & inter reliqua orationis schemata, hoc quoque (quod ὁμοῖον ἀποτέρον Grammatici vocant) non ineptè recensetur. Nos tamen, quidem Mandrabuli (quod aiunt) in morem: sed ab eo, quod & naturā prius est, & factum longa ipsius auctoris meditatione, atque (quæ admodum ipsemet fatetur) repetitione limatius exordiemur. Itaque ad hoc posterius Selnecceri scriptum, quod est *Necessaria & breuis repetitio doctrina de Cœnâ Domini*, hoc tempore respōdebimus: ad illud, quod inscripsit, *Confutatio accusationum*, aliàs fortasse responsuri: quod quanquam priori loco, quemadmodum diximus, collocatum est, tamen naturæ, ordinisque lege debuit esse posterius. Quin enim debet omnis, quæ de re aliqua instituitur, oratio à definitione, & simplici, breui, vera, & perspicua (quas omnes laudes tribuit Selneccerus ipse) rei declaratione proficiscitur: verò quod diu, multumque meditatatus ille est, ac velu recoxit, illud lōgè, meaquidē sententia, solidius, ac firmitus habendū est, quàm quod temerè, & in ipso contentio-nis feruore nuper efflatum est, & eodem pen-nē momento, ac iræ impetu statim prælo commissum, excudēdumque traditum fuit. Præ-terea

terea venit in mentē & illud, μάττω δὲ πλει-  
 ὄνων ποιεῖσθαι, ὅτι δὲ βραχέων δύνάται. Id est,  
 pluribus frust. à explicari quod paucioribus ex-  
 bis potest. Est enim in tot, tamque multiplici-  
 bus, & toties iam repetitis de hac ipsa doctri-  
 na de coena Domini scriptis subleuanda ho-  
 minum memoria, non defatiganda. Ergo  
 cū in vtroque illo Selnecceri libro nihil aliud  
 agatur, quàm quod est in veteri proverbio,  
 nempe quòd *Sol est Apollo*, & quòd *Apollo*  
*est Sol*, in breviori scripto, eoque præsertim  
 bene meditato potius inhærendum existima-  
 ui. Accessit & hæc quoque ratio, quòd ex isto  
 eodem potissimum harum miserrimarum,  
 ac quidem Ecclesiæ Dei funestissimarū, con-  
 trouersiarum fontes cognoscuntur: & quæ bi-  
 lis istos stimulos sub Selnecceri pectore ver-  
 tit, intelligitur: denique vnde tam multæ iam  
 per totam non modò Saxoniam, sed Germa-  
 niam ipsam sparsæ sint lachrymæ, perspicit-  
 ur: ex hoc, inquam, scripto naturæ priore, id  
 quod in cōfutatione accusationū, & ὑπεροπρον-  
 ῖσι fortiter dissimulatum est. Quamobrem  
 his causis adductus, illud potius in manus su-  
 mēdum existimaui. Hoc autem ita modestè  
 & leniter tractabo, vt nullam à me in se pro-  
 fectam iniuriam meritò Selneccerus conque-  
 ri possit. Ipsa enim Selnecceri verba proferā,  
 quibus postea meas responsiones subuciam.  
 Ita verò, Deo fauente, omnia edisseram, vt de  
 vtriusque doctrina, vtra sit verior, Christia-  
 nus quilibet modò ἀπαθῆς accedat, faciliè ex  
 Dei verbo postea iudicare possit.



AD PRIOREM LIBRI

N. Selnecceri, qui inscribitur, *Necessaria & breuis, vera, simplicis, & perspicuae doctrine de Cæna Domini repetitio partem.*

L A M B. D A N A E I

R E S P O N S I O.

SELNECCERVS pag. 10.

**R**EDIMVS illud corpus, quod in Cæna Domini verè, & substantialiter adest, & vescentibus pane exhibetur, non esse typicum, symbolicum, significatiuum, *φανταστικόν, μεταφορικόν, μετανομητικόν, ἀληθοεικόν, κατάχρηστικόν*, improperium, aut absens, & tam remotum à nobis in Cæna, quàm procul distat cælum à terra: sed esse præsens corpus *σωματικῆν παρουσίαν*, id est, verum & substantiale, quod ex Maria virgine assumptum in cruce pependit, & pro nobis traditum est, & ex cuius latere lancea transfixo effluxit sanguis, & aqua.

D A N A E V S.

Credimus nos sacram D. Nostri Iesus Christi Coenam esse sacramentum, itaque re-  
terre-

terrena, & spiritali ex Irenæi dicto constare. Rem illius spiritalē dicimus esse ipsum Domini nostri Iesus Christi corpus substantiale ex Maria virgine natum, passum pro nobis, sepultum, & quod tertia die resurrexit ex mortuis, ex cuius latere lancea transfixo effluxit sanguis & aqua. Rem verò terrenam dicimus esse Panem & Vinum, quæ suo sacramentalique modo corpus & sanguis Christi, quemadmodum ait Augustinus, nominantur. *in Epist. ad Bonif.* Elementa igitur cum re Sacramenti, id est, Panem cum ipso corpore Christi essentiali minimè cōfundēda esse cōtendimus. Ergo corpus ipsum Christi, quæ est res significata, seu res sacramenti, concedimus esse corpus ipsum essentialē, seu substātiāle Christi, non typicum, non symbolicum, sed ipsum illud, quod ex Maria virgine natū est, & c. Panem autem & Vinum (quæ sunt signa ipsa huius sacramenti, & corpus & sanguis Christi appellantur) dicimus & esse, & dici Corpus & Sanguinem Christi typicè, symbolicè & metonymicè tantūm. Epitheta verò ista *φωτιστικόν, ἀλληγορικόν, μεταφορικόν, aut καταχρηστικόν* negamus vnquam à nostris vsurpata esse: sed à Nicolao Selneccero ad prægrauādā optimam causam nostram excogitata, ab animique intemperie (qua plurimūm in hoc scripto agitari se ostendit) suggesta respōdemus. Quāquā nec allegoriæ, nec metaphoriæ, nec ipsæ verborū *καταχρήσεις* sunt in sacra scriptura (sepe ad nostri ingenii tenuitatē attēperā-



te)raræ: sed qui & rectè, & verè loquuntur de sacramentalibus locutionibus, vnam maximè metonymiã in iis inesse docèt, quemadmodũ etiã Philippus ipse huius præceptor agnouit. Ergo cõfundit Selneccerus hæc vocabula *Corpus Christi*, & ludit in vocum æquiuocatione, quia nequaquã distinguit quo significato res ipsa sacramenti *corpus Christi* dicitur: & quo ipsum quoq. sacramenti signũ dicitur corpus Christi. Illa. n. res est verũ, & substantiale Christi corpus: hoc autẽ signũ symbolicũ tantũ est & sacramentale corpus Christi. Iam verò corpus Christi, quod est res sacramenti, verè quidem adest nobis fide uidentibus in Cœna: sed tamẽ neque *καταραν τῆν τραπεζῆν*, utpote per quam est duntaxat in cœlo eo, quod est supra omnes istos visibiles cœlos: neque essentiali seu substantiali assistentia & copulatione cum signo: neque vllõ aliõ modo, per quem vel vnum illud & singulare corpus Christi in plura loca diffundatur: vel de cœlo deducatur, quia per fidem, non per ipsam carnalem oris manducationem verũ illud & pretiosum Domini nostri Iesus Christi corpus participamus in Cœna Domini. Itaque præclarè *cibus non uentris, sed mentis* & à Cypriano, & ab Augustino appellatur. Signa verò, quæ & ipsa quoque corpus & sanguis Domini, uti diximus, vocantur, illa sunt quæ corporaliter seu corporali præsentia in Cœna Domini adsunt, quæ sanè cum ipso essentiali corpore Christi hęc

con-

confundit Selneccerus. Porro quod dictum est à nobis post Vigilium sanctum Dei martyre & orthodoxum, *Corpus ipsum Christi tam esse remotum à nobis in Cœna, quam cœli ipsum est à terra*, de sola præsentia corporali seu essentiali copula & assistentia ipsius carnis Christi cum signis terrenis est sumendum: non quòd omnem omnino carnis Christi præsentiam à Cœna secludamus. Ergo quemadmodum Selneccerus signum cum re signata in appellatione corporis Christi confundit: ita & eos præsentia modos (quibus signum, & res signata in Sacramentis diuerso modo adest) hoc loco perturbat. Nam signa in Cœna domini adsunt quidem coporali præsentia: res autem signata, id est, ipsum, ac essentialia Christi corpus corporali præsentia abest à cœnæ signis: sed sacramentali significatione (quæcum cohæret specialis efficacitas, & spiritualis rerum significatarum communicatio) nobis adest. Neque verò sequitur, quòd si in sacra Cœna ipsum Christi corpus verè nobis credentibus præsens est, idcirco *σωματικὴ παρουσία* signis ipsis adsit. Nam Christi caro sic adest in sacramentis, vt in Baptismo, & vt in verbo, nempe *γενικῶς*, non *σωματικῶς ἐνεργητικῶς*, non *ὁμοίως* et præsentia: quos dissimiles præsentia modos qui vel confundunt, vel non intelligunt, vti hoc loco Selneccerus confundit, si sese nondum veram sacramentorum naturam didicisse fateantur necesse est.

*Et hinc nulla alia est querenda ratio, nisi quod Christus dixerit, se daturum esse corpus & sanguinem suum. Et cum verbum ita sonet, necesse est ita fieri: & nihil obstat potentia & voluntati Christi, qui corpore & sanguine suo adest eo modo quo vult: sicut se velle in Cœna exhibere corpus & sanguinem suum manifestè dixit.*

## DANAEVS.

Vbi de voluntate Dei certò constat, non esse querendam aliam vel hinc, vel alibi voluntatis Dei rationem, & nos ipsi cum Augustino, & Tertulliano confitemur. Sed verba hæc, *Hoc est corpus meum* &c. id sonare quod hinc assumit Selneccerus, nimirum, vt ipsum illud substantiale Christi corpus quod ex Maria virgine natum est, quod in cruce pro nostrorum peccatorum remissione passum, quod in vitam nostram excitatum, reuerà adfit cù signis Cœnæ corporali, vel essentiali præsentia modo coniunctum, id verò cum ipso Dei verbo & tota pia & erudita vetustate pernegamus.

Et vt plurimum laborent isti, nunquam tamen id ostendent. Quod si verba ipsa Christi *Hoc est corpus meum* præfractè vrgeant, dicendum potius erit vel Panem ipsum in corpus Christi reuerà mutari, aut transsubstantiari (vt loquuntur): vel Christum, cùm hæc verba

verba pronuntiaret, seipsum non autem Panem vllum ostendisse. Quin si hæc ipsa Senecceri sententia, & interpretatio vera est, *Hoc est corpus meum*, id est, *Cum Pane isto est copulatum σωματικῆ παρρησία, & coniunctum verum & essenziale corp meum* certè hæc locutio figurata & tropica est, quæ *συνεπιδοχῆ* nominatur. Id quod istorum nōnulli, imprimisq. Lutherus ipse, proposita canthari similitudine, ingenuè agnouit. Porro nihil quicquam potentia, & voluntati Christi obtare, ac ne Diabolo quidem ipso: & vbi vult adesse Christus, eum ibi adesse posse, non negamus: sed de eo tota quæstio est inter nos, vtrum voluerit & velit. Id est, vtrum hæc Christi verba, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus* significant, *Adsum corporali, essentiali, substantiali presentia carnis & sanguinis mei, In sub, & Cum hoc Pane & vino, quotiescunq; illa signa vobis à pastore in Cæna celebratione peraguntur. Hoc ἐπιτόμιον ὡς περ ὁμολογούμενον* isti assumūt, nos negamus. Hac enim interpretatione, verba, & mentem Christi peruerti asserimus, atque naturam ipsam Sacramentalis locutionis id minimè pati ex Dei verbo demonstramus. Itaque τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτήσιον. petunt principium, quemadmodum loquuntur in scholis. Quod qui faciunt, nequaquam probāt: sed fraudem, & paralogismum in disputando turpissimum (vt aliquid de philosophia quanquam inuiti audiāt) admittunt.

SELNECCERVS pag. II.

*Non opus est vlla speculatione de modo, quo fieri possit, vt corpus & sanguis Christi verè descentibus Pane & vino exhibetur. Ne ratio humana semper oberrat in diudicatione diuinarum rerum, nisi verbo Dei se subijciat in obsequium Christi.*

DANAEV S.

Ps. 115.

Vbi de voluntate Christi apertè constat, minimè contendimus de modo, per quem illa impletur, minimèque oportet nos de eo esse sollicitos. Nam *quacunque Dominus voluit fecit*. Itaque tunc humana ratio fasces diuinæ omnino summittat necesse est, nec debet illud suum *Quomodo* obtrudere: sed placidè, atque etiam fidenter, & *πάση πληροπορίᾳ* in illa patefacta Christi voluntate acquiescere. Sed verba hæc, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, nequaquam ostendunt Christum velle aut dicere, *Ego volo quòd verum ipsum essentiale ac substantiale corpus meum (in quo pro vobis passus sum, quòdque supra hos omnes visibiles cælos eleuavi) assistat, cõiungatur, ac collocetur corporalis presentia modo Cum, Sub, & in hoc Pane & vino, qua vobis in Cœna sapius in anno distribuuntur*. Hic enim pios, beatosque fideles in fide ipsius defunctos, In, sub, eũ Pane Cœnæ etiã versari, & fisci oporteret. Nā dixit Christus, *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum*. Item de fidelibus defunctis loquens Angelus in Apocaly.

Ioh. 17.

v. 23.

calypsi ait, *sequuntur Annum quocunque ierit.* *Apoc.*

Quid igitur verba illa significat? Sacramen-<sup>14.</sup>  
tum his verbis commendavit Christus, in-<sup>7. 4.</sup>  
quit Augustinus. Quamobrem illa verba Sa-  
cramentaliter intelligenda sunt, idemque  
valent in Coena, quod in Baptismo ista, *Ba-  
ptismus est la. acrum Regenerationis.* Sic igitur  
Panis & vinum in Coena sunt Christi Caro  
& Sanguis, quemadmodum in Baptismo A-  
qua est & ablutio peccatorum nostrorum, &  
Christi sanguis. Atqui in Baptismo Aqua sic  
appellatur, quod sit *σφαγις* nostræ per Chri-  
sti sanguinem corporali præsentia, etiã Sel-  
neccero teste, absentem ablutiois, & re-  
generationis: eodem igitur modo in Coena  
Panis & vinum nominantur Caro & sanguis  
Christi, quod sint *σφαγις* illius veræ quidem,  
sed spiritualis nostræ cum Christi carne &  
sanguine, etiam corporali præsentia à signis  
absente, communicationis. Quare verba ista,  
*hoc est corpus meum, &c.* id significant, *Ego vo-  
lo vos certissimè persuasos esse quotiescunque in  
me credentes ista signa sumetis, vos ipsius corporis  
mei pro vobis passi, & sanguinis mei pro vobis ef-  
fusi reuera fieri participes, ea nempe ratione, &  
modo, quo vera fides me vobis coniungit, & ova-  
pues efficit.* Huic voluntati Christi ratio no-  
stra (quanquam tanti istius operis efficiendi  
modum ignorat) placidè tamen acquiescit,  
& se in obsequium Christi subicit.

*1. Corint.*

*12. v. 13.*

*Eph. 5. v.*

*26.*

*Tit. 3. v. 5.*

1. *Non opus est fingere descensum corporis Christi, qualem securæ mentes necessario fieri cogitant. Non opus est inquirere, quæ sit corporis & sanguinis Christi cum pane*
2. *& vino societas, aut coniunctio. Non opus est disputare de extensa, aut coextensa*
3. *quadam carne, aut carnis quantitativa, ut loquuntur, ubi quitate, de qua etiã scholastici nihil loquuntur: multò minus opus est coaceruare sapientia humana, & philosophica argumenta de locali inclusione,*
4. *de Physica  $\omega\epsilon\rho\gamma\alpha\phi\eta$ , de quantitate, aut*
5. *finitate corporis, aut similibus. Et paulò post, Non etiam opus est fingere manducationem Capernaiticam, aut Physicam*
6. *corporis & sanguinis Christi, à quo abhorre-  
7. rere aures pias non dubium est. Sed opus est  
8. intueri, & considerare verba institutionis, Accipite, Edite, hoc est corpus meum.*

## DANAÆVS.

Irenæus lib. 4. cap. 63. pulcherrimè scribit eam demum esse sanam sacræ scripturæ expositionem, quæ sit sine periculo, sine blasphemia, & secundum scripturas. Qualem suam esse horum Christi verborum, *hoc est corpus meum, &c.* interpretationem minimè Selneccerus hoc loco iam agnoscit. Imò verò varia ex ea  
incom

incommoda, atque adeò βλάβος multa ipse præsentit, & enumerat. Et quanquam octo (quæ sunt & tetra, & omnino ex sua explanatione necessariò consequentia) recensuit, astutè tamen ad declinandam tam absurdæ interpretationis invidiam non omnia annotavit, sed pauca è multis: & leuia præ gravissimis. Quin verò etiam abundè respondisse se putat omnibus istis obiectionibus, & argumētis contrariis, si illud suum leui cubito proposuerit, ac occinerit, *Christus hoc dixit, Christus hoc voluit.* Expedita sanè elabendi ratio, si modò tuta: sed quæ piis, & cordatis viris minime sit satisfactura. *Non est de scriptura hæresis, inquit Hilarius, sed de intelligentia, & sensu, non sermo hîc in cōtrouersiam vocatur.* Prævidet igitur Selneccerus hæc ἀτοπα ex sua sententia consequi, idque necessariò, siquidem vera, & substantialis illa caro, & sanguis Christi, (quæ in supremum cœlum iam recepta est) adest cum pane & vino sacræ Cœnæ corporali, essentialique præsentia. Primùm, vt 1. illa caro Christi essentialis de cœlo descendat. 2. Vt aliquo corporalis copulæ genere 2. cum pane & vino societur, illique adsistat. 3. Vt in totidem locis, & regionibus, in quibus 3. Panis & Vinū cœnæ distribuitur, eodè tempore extendatur. 4. Vt vbique sit corpus illud Christi, quod tamen etiam post glorificationem mansit non tantùm corpus, sed etiam verè humanum corpus. 5. Vt statuatur 5. corpus aliquod sine loco. 6. Vt idem & ve- 6.



rum corpus & ἀσείρητον, id est, in circumscriptum, tamen esse affirmetur. 7. Ut dulcissimum & sacratissimum illud Domini nostri Iesus Christi corpus miserè in frustra lanietur ab iis, qui tamen S. Domini coenam participant. 8. Ut denique sacrum & essentialè illud Christi corpus ore corporali & dentibus (quod sola tamen cordis fide percipi potest) edatur, ac comminuetur. Quæ & necessariò ex superiori Selnecceri interpretatione sequuntur: & Christianæ fidei analogiam evertunt, & cum hæc singula ipsa per se planè sint horrenda, & blasphema, quis omnia, & collecta ita securè prætermittet, & transvolabit, ut Selneccerus *ἠποδοκιμασις* postulat transmitti? Sed quum tam graues, & tam apertas blasphemias in fidei Christianæ doctrina declinamus & auersamur, sumus isti *σεκουρα mentες* (ne dicam quod toties in scriptis suis ἐμυόκουντο, Mahumetani, Epicurei, Turcæ, Athei, &c. Sin prætermittimus, sumus piis omnibus odiosi, & detestabiles, quod multo magis est pertimescendum. Næ verò ipse nimium securus est, qui quidem ista omnia tam manifestè cum verbo Dei pugnantia & omnè fidei analogiã (quam retinendã esse disertè monet Paulus) oppugnãtia tã leuiter transiit, & dimittat ἀσφάλως. Et tamẽ non omnia dicit: sed postquam ista pauca, & leuiora dissoluerit, nos illi obiiciemus reliqua. Quòd autem ne scholasticis quidem ipsis quædam tam absurda vnquam obiecta fuisse ait Selneccerus,

neccerus, vel hoc saltem eum admonere debuit, lōgè peiorem, deteriorēque esse se aggressum interpretationem, quàm vniquam ipsi Pontificii, & scholastici fecerint. Itaque à tam præcipiti loco maturè esse sibi recedendum.

## SELNECCERVS pag. 12.

*Satis supérque est, quòd ex Christi verbis scimus nobis dari verum corpus Christi, quoties consecratus panis nobis iuxta institutionem Christi datur: & dari nobis verum sanguinem Christi, quoties nobis consecratum vinum datur, & credimus verbis Christi, quem scimus esse omnipotentem, & veracem, & substantialiter, non tantum diuinitate sua: sed etiam corpore, & sanguine suo in Cœna peculiariter adesse, & verum corpus, & verum sanguinem omnibus pane, & vino vescentibus in Ecclesia exhibere,*  
 τὸ ὄντι, ἀτρεκῶς, οὐ τρεπικῶς.

## D A N A E V S.

Et nos ipsi certa animi πληροφορία propter verba Christi defendimus in Cœna Domini omnibus, & singulis credentibus, atque Pane, & Vino Cœnæ vescentibus, dari à Christo τὸ ὄντι, ἀτρεκῶς, οὐ τρεπικῶς ipsissimam carnem, ipsissimamque sanguinem suum: tū quia omnipotens, tum quia verax est Chri-

itus. Nam quod corpus nobis credentibus  
 participandum exhibet, est ipsum illud cor-  
 pus, quod non *τροπικῶς*, non *συμβολικῶς*, non  
*μετωνυμικῶς*, est corpus Christi: sed verum, &  
 substantiale, & ipsum corpus, passum pro no-  
 bis, excitatum, & glorificatum. Haecenus igitur  
 mihi cum Selneccero conuenit. In reli-  
 quis autem inter vtrumque nostrum mira est  
 discordia. Primum quidem, quod ipsummet  
 viuificum Christi corpus omnibus pane, &  
 vino coenae vescentibus dari asserit. Nolunt  
 enim isti esse distinguendum, quod ad ipsius  
 Christi corporis sumptionem, inter dignos &  
 indignos, fideles, & infideles, hypocritas, & ve-  
 ra fide Dei promissiones amplectentes homi-  
 nes: sed promiscuè ab omnibus illud verum,  
 & substantiale Christi corpus, quod & pas-  
 sum, & quod gloriosum est, ab omnibus, in-  
 quam, id est, à singulis signa sumentibus, siue  
 dignis siue indignis participari, idque orali  
 manducatione, isti contendunt. Quanquam  
 enim diuerso à bonis & malis effectu, seu fru-  
 ctu sumi dicunt: ipsummet tamē Christi cor-  
 pus à malis, & à Iuda ipso Christi proditore  
 coenae Domini communicante, re ipsa perce-  
 ptum fuisse volunt. Nos verò hoc ipsum iam-  
 pridem istis, & verè quidem, pernegamus. Si-  
 gna quidem ipsa Coenae (id est, Panem & vi-  
 num, non vulgaria illa quidem, sed sacramen-  
 ta, sed corporis & sanguinis Christi symbola,  
 & vt pia vetustas semper locuta est, *ἀντίτυπα*,  
 (quæq. propterea corpus & sanguis Christi dicū-  
 tur)

tur) sumūt in cœna Domini impii, infideles, hypocritæ, mali, indigni, & cōtēptores: ipsum verò essenziale Christi corpus nequaquam. Itaque rectè Augustinus de Iuda proditore dixit, *Sumpsit panem Domini, nō sumpsit panem Dominum.* Soli verò pii & verè fideles illud Christi corpus, quod est essenziale, sumūt, quia soli fidem habent, quæ vnica est manus, & os, & stomachus, quo capi, manducari, concoqui, & in nos transire, atque nobiscum coniungi verum illud & essenziale Christi corpus potest. Quamobrem quum Selneccerus ait *omnibus Pane vescentibus in Ecclesia exhiberi re ipsa, dari & tradi verum, & essenziale corpus, & verum sanguinem Christi,* dupliciter peccat, primū quod causam pro non causa: & non consequens pro consequenti magna huius verbi, *Exhibet,* ambiguitate sumit. Nec. n. sequitur, omnibus Pane in Cœna sua vescentibus Christus verum corpus suum exhibet, id est, offert: Ergo omnes Pane vescentes in cœna Domini verum Christi corpus re ipsa sumunt. Sic enim argumentari liceret, Sol iste exoriens omnibus in eodem hemisphærio degentibus lumen suum exhibet, id est, offert: ergo hi omnes illud solis lumen usurpant. Quis non videt hoc esse falsum, quū & cæci, & in tenebris conclusi homines illo lumine Solis nequaquam frui possint? Est enim vti in oculis huius corporeis acies ipsa vel videndi facultas: sic in animis nostris fides. Quamobrem vti qui visu carent, Solem

August.  
in Ioann.  
Tract. 59

quantumvis lucentem, & oblatum non capiunt: sic qui fidem non habent, verum Christi corpus minimè sumunt. Deinde (in quo ipso secundus Selnecceri error est) vocū quoque harum, *Corpus Christi*, à quibusdam decipitur. Nam quum & ipsum illud verum, & essentialiale Christi corpus & sanguis verus dicatur sine tropo corpus & sanguis Christi: & ipsa quoque vtriusque signa, & symbola (nempe Panis & Vinum) itidem dicantur corpus & sanguis Christi, sed sacramentaliter, & ἁπορρητικῶς tantum: putat Selneccerus (qui se de vocabulis parum esse sollicitum prædicat) putat, inquam, quum mali, & hypocritæ signa ipsa (quæ corpus vti dixi nominantur) dūtaxat sumant: illud ipsum capere, quod est, verū & essentialiale Christi corpus, & sanguis, in quo manifeste vocabulorum istorum, *Corpus & sanguis* homonymia hallucinatur. Ergo in eo primùm à Selneccero dissentimus, quòd sine fide verū, & ipsum essentialiale Christi corpus manducari putat: nos contra cum Paulo, cum Augustino, cū ipso deniq. Christo id ipsum negamus. Secūdo, dissentimus quoque in eo, quòd iste nisi ipsa caro Christi corporaliter, essentialiter, substantialiter coniuncta, copulata, sociatāque cum ipso Pane, & Vino Coenæ adsit, negat nos ei communicare posse, & eam vult manducatione orali, & (vt ipse infra pag. 20. sine circūfusione loquitur) corporali à nobis edi. Nos contra. Itaque modum huius nostræ cum sacra illa carne & sanguine Christi

I. Cor. II.

Joann. 6.

August.

in Sermo.

de verb.

Euan gel.

Christi communicationis, ille carnalem, corporalem, ac denique Phylicum (quicquid fingere conetur) proculdubio statuit: nos autem verum huius tam sacræ cōiunctionis nostræ cum Christi carne modum & spiritualementem, & ὑπερφυσικὸν esse ex Dei verbo demonstramus, quique corporali ipsius carnis Christi præsentiā, & cum signis assistentiā nequaquam indigeat. Deniq. quòd Christū peculiari quodam modo corpore & sanguine suo in Cœna præsentem adesse scribit Selneccerus, & nos quoque id fatemur. Sed in eo tamen vtrique differimus, quòd ille necessariò consequi putat, vt si corpore & sanguine suo peculiari illo modo in Cœna præsens adsit Christus, ergo corporali præsentia, ipsaque substantialis & essentialis corporis Christi cum signis consociatione, assistentiā, coniunctione adesse oporteat: denique ipso reali carnis Christi in his terris situ, & collocatione. Nos autem hanc præsentiam carnis, & sanguinis Christi cum signis esse eandem in Cœna, quam in Baptismo, quā in verbi ipsius prædicatione docemus, quod & ipse quoque & istius Achilles Chemnitius (hūc enim vnū ubiq. iste admiratur, etiam Andrea Iacobo antea quidem fraterculo, sed nunc ob nescio quod graue inter eos de primatu Germanicarum Ecclesiarum dissidium strenuè contempto) docuit, nempe *ἡσυχίαν*, non *σωματικῶς*, ἐνεργητικῶς, non *ουσιώδην*, quemadmodum quoque antea diximus.

SELNECCERVS pag. 13.

*Nihil enim de nostro addimus, nihil verbis testamēti detrahimus, nihil innouamus, nihil immutamus, & nullā causam habemus discedendi à sententia quam recitauimus de manducatione vera veri corporis, & sanguinis Christi, etiā si ratio humana reclamet. Modum enim disputandi debere adhiberi p̄ omnes norunt. Aliud enim est posse disputare, & splendide iam de his, iam de alijs loqui more philosophico, & humano, de quo dicitur τὸ λῆαν ἀκρίβειαν σοφοῦ καὶ ταπεινῶν: aliud verò pacatam reddere conscientiam.*

DANAEV S.

Vtrum qui Sacramentalem Christi loquutionem sacramentaliter interpretantur aliquid addant, aut detrahant verbis Testamenti: an verò ii potius, qui hæc verba, *hoc est corpus meum*, sic exponunt addentes quæ sequuntur, *hoc, id est, In, Sub, vel Cum hoc pane est corporale, substantiale, ac essentialē: id sum verū corpus meū præsens*, iudicent pii, & nullo partium præiudicio iam præoccupati lectores. Profluum quidem Selnecceriani styli, & hîc, & alibi videmus, *Nihil innouamus, nihil mutamus, nihil addimus, nullam à sententia discedendi causam habemus: sed quid toties repetita oratio aliud, quā fastidiū, aut etiam (quia crābe bis apposita mors est)*

nau-

nauseã mouet. Dicat Selneccerus ipse, si quis  
 hæc verba Pauli, *Petra erat Christus*, si quis 1. Cor. 10  
 hæc Dei ipsius, *Agnus est pascha Iehouæ*, item  
*Caro agni erat Christus*, sic interpretatur, *Petra* Exo. 12.  
*erat symbolum Christi*, *Agnus erat symbolum* v. 10.  
*transitus à Iehoua dati*. *Caro Agni erat symbo-*  
*lum Christi macclandi*. addiderit ne, an mutaue-  
 rit, an detraxerit, an innouarit quicquam in  
 verbo Dei? Nequaquã fanè. Imò verò quod  
 erat in ea ipsa diuina phrasi tectum ac inuo-  
 lutum duntaxat euoluit, & verum illarum lo-  
 cutionum sensum, tanquam preciosum è nu-  
 ce nucleum eduxit. Nam & sic Paulus ipse  
 Circūcisionem explicat, de qua cùm dixisset Gene. 17.  
 Deus, *hoc est fœdus meum*, quemadmodum in 10.  
 Cœna dixit de Pane Christus, *hoc est corpus* Matt. 26  
*meum*, Paulus iustus illius Dei sententiæ inter-  
 pres sic eam declarat, atque exponit, *Circun-*  
*cisio est σπαργίς διαγορεύουσ, seu Ἐξόμνησις Θεοῦ* Rom. 4.  
 (quod perinde est). i. *Circūcisio est obsignatio*  
*iustitiæ seu fœderis Dei*. Ergo eodem modo  
 ista quoque locutio, *Panis est corpus Christi*,  
 ipso Paulo interprete est intelligenda, vt id  
 sonet nimirū, *Panis est σπαργίς corporis Chri-*  
*sti*. Eadem etiam ratione, hæc oratio Christi,  
*hoc est corpus meum*, ex vero spiritus Dei sen- Matt. 26  
 su, & ipsius Christi mente sonat Paulo teste, 1. Cor. 10  
 figuratè, ac sacramentaliter, *Panis est commu-* v. 16.  
*nunicatio corporis Christi*. Nam omnis Sacramē-  
 talis locutio figurata & tropica, quemadmo-  
 dum Augustinus docet, tropicè quoque ex-  
 plicetur necesse est. In qua verbum *Est* vsur-



Durand.  
in 4. Sen.  
dist. 11.  
quest. 1.  
N. 13.

Leo I. E-  
pist. 22.

patum neque essentialem signorum demutationem denotat : neque signi cum re signata corporalem, realémque copulationem concludit. Quamobrem etsi è scholasticis vnus, præclarè tamen Durandus ait, *esse in sacramento non est habere necum vbi*. Et Leo ille primus, (vt Theodoritum, Augustinum, Vigiliũ, toties iam à nostris citatos omittam) sic quoque interpretatur: *In illa mystica distributione spiritalis alimonie, ait hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutè Cœlestis cibi, in carnem ipsius, qui Caro nostra factus est, trãseamus*. Ergo qui Panem Coenæ Dominicæ interpretatur esse corpus Christi tropicè, id est, eũ esse *σπαγίδα*, & *νοστανία* corporis Christi: denique symbolum illius cœlestis cibi, is nihil addit, nihil detrahit verbo Dei: sed quæ vera est verborum Christi sententia, planè perspicuèque declarat. Qui verò panem : vel In Pane, vel Sub Pane ipsum Christi corpus esse vel corporaliter, essentialiter, substantialiter illi adesse contendit, is certè manifestam verbo Dei testamentoque Christi additionem affingit. Quod autem tam sonore ait Selneccerus, *Nihil verbis Testamenti detrahimus*, quorsum tam inuidiosè dicat non intelligo, nisi si detrahere appellet, non addere illud quod ipse non modò citra, sed etiã cõtra Dei ipsius verbum, omnémque fidei analogiam, vetustatisque consensum toties inculcat, *Corporaliter, essentialiter, substantialiter adesi ipsa Caro Christi ad panem ipsum & Vinum Coenæ*, id ad

ad præsentiam Carnis Christi in, vel cum signis ipsis planè referens. Nam testamenta, extremasque piorum volùtates in sacra scriptura tropis scaterere quis præter Selneccerum nescit? Id quod & Iacobi patriarchæ, & Moſis Gen. 49. ipsius testamenta iis ipsis verbis (quibus ab Deut. 33. illis concepta fuerant) recitata & descripta manifestè docent. Quid verò? nonne hoc ipsius Dei foedus & *Agallun* (qua voce testamentum nominatur) etiam ad vitæ æternæ Hebr. 9. v. 15. beneficia, quemadmodùm & Cœna ipsa Christi, pertinebat, *Indam leges meas menti eorū, & Hierem. cordi eorum inscribam: item, Docebunt singuli 31. v. 31. proximam suam, & singuli fratrem suum, &c.* Quod tamen ipsum quis neget figurato, ac tropico dicēdi genere, & nuncupatū à Deo, & ab ipsius amanuēsi propheta Hieremia esse scriptū? Si id negat Selneccerus, toto cœlo aberrat. Nam si velit istius foederis, & testamenti verba ad viuum esse ressecanda, i. ad literam, & *τὸ πῦρ* omnino vrgenda esse: ergo & calamo & atramento vtens Deus incrisperit leges suas cordibus nostris: nulla amplius verbi prædicatione ad proximos docēdos opus erit, in quo se Anabaptistam esse planè ostenderet? Quid porrò? Nonne & hoc ipsum est aliud Dei foedus & testamentum ad generis humani conseruationē cum Noacho sancitum? Vt Iris illa cœlestis, quæ in nubibus Gen. 9. v. 8. apparet, sit nobis Dei foedus? Nemo certè ibit inficiās. At qui hoc ipsum tropico dicendi genere se effatum esse docet, interpre-

L. I. C. de  
Sacrosan.  
Eccl.

L. Demō-  
stratio.  
17. D. de  
conditio.  
& demō-  
strat.

taturque Dominus ipse quum ait, *Fœdus suū firmam illam esse*, id est, *signū seu oppavida fœderis sui*. Nam quòd testamentum (extremum illud, & quod iterum non redit hominis morientis arbitrium) perspicuè, dilucidè & propriis verbis scribi oportere homines isti contendunt (ne videātur Iurisprudentiæ quoque esse imperiti) ut sit ratū, & firmum, non nego. Sed quid magis propriè, & clarius dici potuit aut fieri, quàm ut Christus in Sacramentis describendis vteretur sacramentalibus locutionibus, id est, & phrasibus propriis, & in eo argumēto notissimis, vulgatissimis, receptis, ac omnino necessariis? Denique quum Selneccerus vult in testamentis etiam hominū ipsorū τὸ πῦρόν potius & verba scripta, quàm ἀξίωσαν, & sententiam testatoris dominari oportere, planè hīc iam se iuris illius civilis (cuius cognitionis laudem antea captabat) communisque omnium mortalium moris ignarum esse ostendit. Omnium enim Iurisconsultorum calculo & suffragiis ista tam incivilis Selnecceri testimoniorū interpretatio refutabitur: quia in testamentis ipsa testatoris voluntas plus, quàm verba valere, eorum sententia, debet. Cæterum quod à Selneccero additur, *Etiamsi ratio humana reclamet se tamen superiorem suam de Cœna Domini sententiam sequi*, nullam nobis, qui contrarium sequimur, invidiam creat. Nam nos demonstramus non solūm humanam, sed etiam diuinam rationem illi sententiæ reclamare:

mare: quum tres præcipui fidei nostræ articuli nempe de Ascensione Christi in cœlos, de Comprehensione eius in iisdem cœlis vsque ad tempus restitutionis omnium, & de vera eiusdem incarnatione .i. de humanæ ipsius Christi naturæ veritate etiã post ipsius glorificationem tam obstinatam illam Selnecceri interpretationē prorsus oppugnēt. Itaque desinat humanā rationem nobis obicere, quum ipsum Dei verbum contra se proferri videat. Postremò quòd in nobis Sycophantis appellādis seipsum Selneccerus oblectare voluit, idne piè & Christianè faciat, iudicent Christiani omnes. Non desunt certè quæ retaliare in ipsum minimè mentientes (quod tamen hîc de nobis facit) possemus, si contrà Christi ipsius, (de cuius verbo & gloria nunc agitur) verbum, malum malo reddere vellemus. Nos verò si tibi Sycophantæ sumus Selneccere: piis omnibus certè sumus & veraces, & orthodoxi. Sed disputandum erat non conuitiandum.

Act. 1.  
v. 10. &  
3. v. 21.

SELNECCERVS pag. 14.

*Et obuersantur nobis tragica exempla pœnarum, quas dederunt ij qui in Cœna Dominica rationem & philosophiam consulentes affinxerunt verbis Christi sententiam de Corporis absentia, & errores erroribus, ut fieri solet, accumularunt. Et noti*

*sunt Berengary, & nostra etate Carolostadij, Zuingly, Oecolampadij, Ochini, Syluani, Neuseri, & similium miserandi exitus.*

## DANAËVS.

Est non tantum elumbe quod hoc loco à Selneccero affertur argumentum, à paucorum hominum tragico, vt iste appellat, exitu: sed etiam dirum. Verum aliud quo se, suamque sententiam vel tueretur, vel commendaret, non habebat. Sanè est impium virorum bonorum (quales hinc nonnulli commemorantur) manes reuellere, eorumque feliciter conditos cineres è suis tumulis effodere, vt iis maledicas: hoc tamen ab isto fit, tanta nimirum est istius hominis impotentia animi, qua eadem abrepti quidam huius foci veros, & pro sacrosancta Christi doctrina constantissimè in Gallia, Anglia, Hispania, Belgio, Germania ipsa passos Dei Martyres: contumeliosissimè tamen, ac (liceat Christi gloriam tueri) impudentissimè *Diaboli martyres* vocant. Hi sunt istorum hominum furores, & intemperiae. Quanquam quod genus argumenti istud, quaeso, censentur in est? Huius fuit funestus exitus, eiusdem ergo fuit scelerata & impia doctrina. Basilium illum summum totius Graeciae theologum, & sui seculi facile lumen, quis ignorat summis corporis cruciatibus laceratum mortem obiisse? Sed quis sanctissimos Christi martyres, doctrinae coelestis verissimos testes, si ex cruciatu genere aestimentur, non dixerit habuisse

se tristes vitæ exitus? Quis non Petrū, & Paulū ipsum fidelissimos Christi Apostolos? Quis non Barthomæū, Andrea, & alios diuinos illos homines, mundi lucem, non miserrimos cruciatus & vitæ exitū tristissimum expectos esse iudicauerit? Estne verò eorū doctrina, Seneccere, propterea impia? Estne cœlestis veritas, quā illi prædicarūt, quā tristi illa morte obliuiscunt, propterea dānanda? Tu certè id vis: ego verò contrā atq. asseueranter affirmo. Et vt hoc quoque exemplū afferā, quod quanquam ratione personarum à superioribus est dissimile, tamē tuā argumentationē iugulat apertissimē. Iudas Iscariotes, qui Christi doctrinā ex ipso illius ore didicerat, miserādū, & tragicū vitæ exitū habuit: ergo Christi doctrina p̄ te falsa & damnanda erit, Seneccere. Quis has cōsecutiones tuas, tā inep̄tas, atq. etiā blasphemias, feret? Quis, obsecro, p̄ter te saxēū hominē (loquar. n. liberè in re tā clara) artē ab artifice, doctrinæ sanctæ p̄cepta à professorū vitis: demiq. rē ipsam ab illius accidētē separādā nō nouit? Cōiitari homini mortuo cūm p̄ se inuitiosum, ac impiū est: tū verò piis, & sanctis Dei seruis, qui in Domino mortui sūt, est certè quidē impiūssimū. Ceterū quid, quæso, Seneccero venit in mētē, vt Zuingliū, & Oecolampadiū auderet inter impios cōmemorare: se verò nimirū miraculis discordiarū, quas in Germania teruit, coruscātem inter piis? Illorum vitæ certè exitus, nisi & monumentis literarū foelicissimus fuisset traderetur, & viri omnes boni ita de illis

semper sensissent, plura de eo dicerem. Sed quis, qualisue tuus sit futurus, Selneccere, ipse ignoras, nescis quid vesper serusue hat. Quod si spectentur tragica illa funestarum discordiarum, & poenarum exempla, quæ in ipsa Dei ecclesia (dum bonos in exilium agitis, ac vexatis) iã tu, tuique similes aliquot alii edidistis, ac quotidie editis, certè nulla doctrina à Dei veritate alienior vllò vnquam hominum æuo nata, quàm hæc tua de Coena domini meritò videbitur: Non enim te tãtum cum Arrianis, aut Circuëllionibus Donatistarum in huiusmodi sæuitia, qui tuæ vitæ historiam sciunt, comparant, (vt hominum de te iudicium, Selneccere, noris) sed id dicunt, quod ex optimis & eruditissimis Vittebergæ, & Lipsiæ pastoribus, doctoribusque plerosque expertos esse comprobabunt. Quàmquam si tuorum, qui Hildebergæ, explosis nuper orthodoxis nostris, defuncti sunt infelices exitus commemorare vellem (quæ recens est vestra historia) quem tibi, tuisque pudorem incuterem? Quid enim in tota Germania notius est, quàm tristis ille & verè tragicus Bidëbachii (vt alios multos præterea) summi tamè Jacobi Andreæ socii, & fratriculi exitus, qui se præcipitem ipse dedit? Sed nullius manes attingere constitui: sui facti, & vitæ Deo rationem illi reddidè. Cæterum quod ad Berengarium, cur tu illius miserandam mortem esse existimes nescio, nisi quòd anilibus Papistarum fabulis insulfè credens ipse

ipse alibi ex magna historię illius temporis  
 ignoratione scripsisti eum morientem de  
 salute sua dubitasse, quasi multis erroris cau-  
 sa fuerit. Atqui si Berengarius erravit, in eo  
 erravit, quod trucibus Nicolai Rom. Ponti-  
 ficis (quem Rom. Antichristum vestri tamen  
 ἀποχριστι) minis ad tempus cessit. Cuius tamen  
 suę palinodię pœnitentiam postea egit Be-  
 rengarius, & placidè, pięque defunctus tradi-  
 tur. Denique præclarum ab optimis suę æ-  
 tatis viris testimonium accepit. Cuius rei fi-  
 dem facit hoc vetustissimum ipsius Epita-  
 phiũ ab Hildeberto Coenomanensi Episco-  
 po (qui illi tempore æqualis fuit) magno to-  
 tius illius ætatis consensu conscriptum,

*Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,*

*Ille Berengarius non obiturus obit.*

*Quem sacre fidei fastigia summa tenentem,*

*Hunc iam quinta dies abstulit ausa nefas.*

*Vir pius, atque grauis, vir sic in vitro q̄ modestus,*

*Ut liuor neutro rodere possit eum.*

*Vir verè sapiens, & parte beatus ab omni,*

*Qui cœlos anima, corpore ditat humum.*

*Post obitum secum vinã precor, ac requiescam,*

*Nec fiat melior fors mea sorte sua.*

Hoc igitur est de Berengario illam extor-  
 tam sibi à Rom. Antichristo palinodiam re-  
 cantante, deq̄ illius morte publicũ totius Ec-  
 clesię iudicium, quod ineptissimorum homi-  
 num, ac Papæ Rom. asseclarum Lanfrauci, &  
 Guitmundi, & aliorum Canonistarum, tuisq̄  
 calumniis opponimus. Zuinglii verò felicem



illū exitū, quis vir pius, & verè Christianus nō  
 semper magnopere laudauit? quū is & pro  
 Christo ciuis, vt præstātissimus poeta cecinit  
 & pro patria puluis tāquā alter quidam Iudas  
 Machabæus fortiter occubuerit? extāntque  
 cū illius ætatis: tū huius nostræ honorifica  
 de tāto viro testimonia tuis cōiitijs lōgè cer-  
 tiora, quæ Hebraicis, Græcis, Latinisq; literis,  
 cōsignata nunquā consenescēt. Ergo qui & vt  
 constātissimus Martyr pro fide Christiana, &  
 vt fortissimus ciuis pro patriæ salute mori  
 non dubitauit, abs te inter miserādos, & infe-  
 lices homines, inter tragica pœnarū (quas vo-  
 cas) exēpla reponitur? Vtinam verò vt ille a-  
 pud Homerū decē Nestori similes optat, sic  
 Germaniæ, Heluetiæq; tales & Christiani, &  
 ciues multi contingant: non autē huiusmodi  
 homines truculenti, auari, ambitiosi, qui que  
 ἄλλοι ἄλλοι ποροβέτων inter se ἀκόνοδες digladien-  
 tur, & pugnent, totiēsq; Ecclesiæ pacem,  
 & Germaniæ tranquillitatem perturbant.  
 Id quod tu Selneccere intolerabili etiam ipsi  
 Iacobo Andreæ antea fraterculo tuo, fallu,  
 atque animi impotentia facis. Oecolampa-  
 dium denique cum nefando quodam Sylua-  
 no coniungere ausus es, nempe virum Dei cū  
 blasphemus, lucē eū tenebris. Nā Syluanus  
 suarū blasphemiarū pœnas à nostris, iis, qui  
 contrariā Selneccero de coena Domini sentē-  
 tiā sequuntur, tulit, ne falsas de religione opi-  
 niones iter nos foueri, aut impunitas tolerari  
 Selneccerus existimet. Etiamne verò Oecola-  
 padu mors illa & placida, & felix, tragicum

pœnæ exemplum tibi videtur Selneccere, aut etiam abs te appellabitur, cum & à Simone illo Grynæo viro verè suæ ætatis optimo, & pientissimo (qui etiam Oecolampadio morienti affuit) & à VVolfango Capitone tam præclarum vitæ, exitusque sui testimonium ad posteritatem habeat? At anthrace corpus totum inflammante periit. Sic & Basilius ille magnus periit quoque. Quid tu igitur de summo illo Dei amico Dauide, ipsiusque fide, & doctrina iudicares, quum de se ita scribit ipse? *Non est integritas in carne mea propter detestationem tuam, non est pax in ossibus meis: putruerunt, contabuerunt liuores mei propter stultitiam meam, &c.* Quid de afflictissimo illo Iobo sentires, cuius per totum corpus à planta pedis vsque ad verticem putre vlcus, & foetida scabies fluebat, vt docet scriptura?

Certè in iis tragica illa tua pœnarum exempla nobis obiiceres, eorumque fidè, quæ tua est audacia, condemnares. Longè verò aliter spiritus S. de illis statuit, monetque eum verè beatum, & pia sapientia instructum, qui commiseretur afflictis, & ad eum attendit, vt sobriè de eo iudicet: non autem vt eum temerè, quemadmodum facis, inter impios connumeret. *Si videris, inquit, Chrysost. in Homil. 1. ad popul. Antiochi hominè in virtute vincitè, philosophia sectantem, Deo placentem, postea innumerà patientè mala, ne scandalizeris, dicte. Castigat enim Dominus quos amat.* Denique in ea ipsa corporis inflammatione, quam fortas-

sis intelligis, audi ex oculato teste Simone  
 Grynæo, qualem se præstiterit Occolam-  
 padius, *Inter tot incommoda privata & pu-  
 blica, ait, nondum ille aut concionari, aut  
 prælegere, aut lucubrare desit.* Quare tati-  
 dem aliquando desine bonis maledicere,  
 Selneccere, & de seruis Dei, piisque vi-  
 ris, (quorum tam testata nobis extat histo-  
 ria) disce, quòd Christiani hominis est,  
 posse piè, & bene loqui, ac sentire: hoc  
 tuum est, qui nos ad conscientiaè iudicium  
 reuocas: & hæc certè abs te tam iniuriòse,  
 & tam falsò in pios debacchata potius, quàm  
 scripta ostendunt, quales, quàmque tragicos  
 ipse in tuis concionibus, tuòque illo Lyp-  
 siensi pulpito clamores excites, pro eo quod  
 gregem, scholamque tuam placidè Dei  
 verbum docere, amicitiam inter pios alere,  
 pacem Ecclesiæ conseruare debebas, & nos  
 (quos adhuc in fide, & tanti de carnis  
 Christi manducatione arcani cognitione in-  
 firmos putas) benignè, patienterque tole-  
 rare, atque assumere, non in certamina di-  
 sceptionum, multòque minus ad plau-  
 stra calumniarum inuehenda contra Pau-  
 li ipsius præceptum. Quòd ad Caroloستا-  
 dium, Ochinum, Nauserum, & alios, quos  
 nominas (quoniam illi ad nos non perti-  
 nent) minimè quoque pro his tibi responde-  
 bo. Vnum hoc miraturos esse pios omnes sa-  
 tis scio, cur Carolostadtii in hoc argumento  
 à Selneccero mentio facta sit, quum id fa-  
 cere

tere non possit, quin luctuosi illius inter Lutherum, & Carolostadium, ob aureum numum à Luthero depositum, certaminis memoriam refricet: atque temerè ex spon- sione ab ipso Luthero suscepta ista lis to- ta fuisse intelligatur.

Hactenus ista, ad quæ commemoranda nonnisi inuitus, & impiis illis Selnecceri in- pios illos iam defunctos conuitiis pertra- ctus accessi. Nam quemadmodum antea di- xi, est omnino ἀσυλλόγητος ista ratio, ar- gumentatioque, Hic malè perit, ergo quam profitebatur fidem, illa falsa est, illa dam- nanda est.

SELNECCERVS pag. 14.

*Recitauimus simplicissimam sententiam de substantia Cœnæ Dominicæ, & de mandu- catione veri corporis, & sanguinis Christi iuxta verba institutionis, & iuxta Paulum, qui Panē benedictionis nominat τοῦ ἰσχυροῦ, id est, communicationem corporis Christi, & Poculum benedictionis nominat κομμι- nicationem sanguinis Christi dignis, & in- dignis in Ecclesia communem.*

D A N A E V S.

Paulus I. Corinth. 10. vers. 16. in animo ha- bens, interpretansq. proculdubio illa Christi

verba, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*,  
 appellat Panem, quem in Cœna Domini frā-  
 ginus, *νοῦτοιαν σώματος*: & poculum cui be-  
 nedicimus *νοῦτοιαν αἵματος*, *Χεῖρε*. Qua expli-  
 catione declarat, neque Panem, neque Pocu-  
 lum esse ipsum essenziale corpus, & sanguinē  
 Christi, sed *νοῦτοιαν*: neque coniungi, & corpo-  
 rali præsentia assistere, inhærere, existere  
 essentielle ipsam carnem, & sanguinem  
 Christi vnâ cum ipsis signis: sed signa hæc  
 esse nostræ illius cum carne & sanguine Chri-  
 sti communionis à Christo institutas *σφραγι-  
 δακ*. Ergo fatemur istam Panis, & poculi, (e-  
 tiam quatenus sunt Christi promissionis æ-  
 ternæ, & beneficii oblatis *σφραγιδεσ*) sumptio-  
 nem esse dignis, & indignis in Ecclesia con-  
 munem. Rem tamen ipsam per signa demon-  
 stratam, id est, ipsummet verum & essenziale  
 corpus Christi à dignis, & indignis communi-  
 ter in Ecclesia sumi negamus. Nā præclare,  
*Quando Christus manducatur*, ait August. *vi-  
 ta manducatur*. Indigni enim ea manu carent,  
 qua ipsum essenziale Christi corpus, & san-  
 guis apprehenditur, ac sumitur, quæ est fides:  
 manum autem qua signa, & terrena illa ele-  
 menta capiuntur, habent, nempe corpoream  
 manum. Eodem modo, eadēque distinctio-  
 ne intelligendum est, quod idem Paulus  
 ait, *Qui indignè māducat Panem hunc, & bibit  
 Poculum Domini, reum teneri corporis, & san-  
 guinis Domini, quoniam*, ait ipse, *non discernit  
 corpus Domini, id est, non perpēdit, neque se-  
 parat*

i. Cor. II.

Parat illius Sacramentalis Panis, & vini vsum à vulgari communi que pane & vino, quæ nō sunt sacramenta, & corporis, ac sanguinis Christi *σύμβολα*. Atque hanc nostram interpretationem confirmat August. his verbis, *Panis & calix, non quilibet quasi propter Christum in speciebus, & in samentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, nō nascitur. Proinde quod non ita fit, quamuis Panis, & Calix, alimentum est refectionis, nō sacramentum religionis. Et item alibi, Quisquis indignè sumit Dominicum sacramentum, locum in se diabolo præbet. Itaque & hîc quoque Selneccerus signorum cum rei signatæ assumptionem confundit, eodémque instrumento, & modo vtrumque fieri putat: in quo graviter hallucinatur, & quidem perpetuo errore, Selneccerus.*

August.  
lib. cont.  
Faust. 42  
c. 4.

SELNECCERVS pag. 15.

*Oves meæ vocem meam audiunt. Qui non credit Deo, mendaciy eum arguit: hominis testimonium autoritate confirmatum nemo irritum facit. Miror vos tam citò deserto eo, qui vocavit vos, in gratiam Christi transferri in aliud Evangelium. Etiam si nos, aut Angelus è cælo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto. His gravissimis sententijs mouemur ut acquiescamus in verbis Christi.*

Ioan. 10.  
1. Io. 5.

Gal. 3.

Gal. 1.

DANAEVUS.

Quòd ex sacra scriptura citat Selneccerus, & nos quoque libētissimè amplectimur, sed in eum ipsum retorquemus. Quoniam igitur iubemur Christi, non Lutheri vocem audire: Deo, non homini credere: Christi nō Brentii testamētum ratum habere: Pauli nō Selnecceri Euangelium syncerum retinere: ipsi verbi Dei veritati, eique soli adhæreamus, eam vnam exploremus, perquiramus, agnitam amplectamur, omnibus præiudiciis semotis, omnium hominum autoritate explosa, denique omnibus animi nostri perturbationibus, & affectibus sedatis, Deique verbo summissis. Sic autem ait Paulus, *Si præter id quod vobis euangelizauimus, non autem sic, si propter id quod Lutherus euangelizauit.* Ergo Lutheri scriptis imprimis polemicis (quibus nihil est perturbatius) valedicentes, de sententia, & mente verborum Christi ex ipso Paulo, ex aliorum Apostolorum scriptis, ex Dei verbo, fideique Christianæ perpetua analogia inter nos discepremus: & ne patiamur nos cuiusquam autoritate, contentione, eloquentia, ab hac veritate abduci, & in alium quàm Paulus ipse affert, verborum Christi sensum transferri. *Panis Cœna est corpus Christi, id est, Panis Cœna est communicatio corporis Christi.*

SELNECCERVUS pag. 15.

*Præclare, & verè Epiphanius dixit, Nō vide-*

videmus quidem ullam similitudinem, *ἡ δὲ ἰσότης ὁμοίων*, qua vel corpori, vel characteribus membrorum, vel diuinitati congruat, id quod in Cæna sumimus. Quia vero ipse dixit, hoc est corpus meum, nemo non fidem habet his verbis.

## DANAÆVS.

Neque nos ab ista Epiphaniï vetustissimi scriptoris sententia dissentimus Neque enim eam, quæ est inter Panem & Vinum Cœnæ, & carnem, ac sanguinem Christi ἀναλόγως ex figura, ac cōformatiōe externa Panis, & vini æstimādā esse dicimus: sed primū ex ipsa Christi promissione, atque institutio-  
ne: deinde ex ea vi, & facultate, quæ in v-  
trisque, id est, signis & re signata par est,  
& ἀναλόγως, si modò corporalia corporali-  
bus, & spiritualia spiritualibus accommo-  
dentur, quod iubet fieri Paulus. Nam quod  
est, prodéstve panis, & vinum ad alendum  
hoc nostrum terrenum corpus: hoc idem,  
est, prodéstque ad spiritualem animæ nostræ  
alimoniā sacra illa Dom. N. Iesus Christi ca-  
ro, & sanguis. Quamobrem hanc præclaram  
Epiphaniï de verbis Cœnæ explicationem, *Epiph. in Anacep.*  
& nos ipsi recipimus, quemadmodum, & il-  
lud quod idem alibi pronuntiat, Panem  
ipsum, & vinum Cœnæ non esse δυνάμει  
eām, qua fortificatur anima nostra: sed



eam vim ex verbo, promissionéque Christi pendere, à quo solo, non à Pane, vel vino in salutem æternam corroboramur.

SELNECCERVUS pag. 16.

1. Hanc sententiam retinentes, simul refu-  
 2. tamus errores, & abusus, ut commentitiam  
 transsubstantiationem: ἀπολατρεΐαν, siue Pa-  
 nis adorationem, repositionem, circumgesta-  
 3. tionem, & oblationem, quæ fit in Missa: Mu-  
 4. tilationem Sacramenti, neque fingimus con-  
 5. substantiationem, σὺζωξιν, ἢ σωμαΐαν Physi-  
 6. cam: aut inclusionem nescio qualem: sed af-  
 7. firmamus hanc unionem esse sacramentalē,  
 ea ratione qua verba institutionis monstrāt,  
 hoc est, dicimus in usu congruente ad insti-  
 tutionem verè sumi verum, & substantiale  
 corpus: & verum & substantialem sangui-  
 nem Christi, nō fide tantum, aut spirituali-  
 ter (quomodo credentes pascuntur) sed etiā  
 corporaliter, siue ore nostro: quia scriptum  
 est, Accipite, etiamsi id fiat incōprehensibi-  
 liter, inuisibiliter, & minimè Physico, sed cœ-  
 lesti, & nobis incognito modo.

DANAEVS.

Quàm miserè in hac sua sentētia defendē-  
 da æstuet, ac apud seipsum torqueatur Sel-  
 neccerus, iam ex hac ipsius oratione satis ap-  
 paret.

paret. Quanta enim non modò ipsum circūstent, atque illi obiciantur incommoda: sed ex sua orali illa manducatione (quam stabilit) necessariò consequantur absurda, & quæ blasphemix, præuidet quidem, & enumerat: sed tamen ea neque, nisi verbo tenus remouet, neque sanat. Contrà verò quàm bene illos omnes abusus, quos hîc damnat, tamen ille ipse sua sententia confirmet, eia illi, quia nondum capere potuit, amice exponamus. Negat se fouere commentitiam Pontificiorũ transsubstantiationem.

Atqui verò qui ῥητοδιόκτης est, & verba *1. Error*  
*hæt, hoc est corpus meum. præcisè καὶ τὸ ῥητόν, & transsubst.*  
 sine vlla orationis figura, vel interpretatione sumenda esse docet, id quod vrget Selneccerus, is certè transsubstantiationem Pontificiam in Ecclesiam intromittit. Quid enim ad verbum illa aliud sonant, quàm Panem fieri corpus ipsum loquentis Christi? Itaque *Libro de*  
*Masestate*  
*Respons.*  
*brev. con-*  
*tr. Sperls.*  
 Iacobus Andreas negat vel momento pugnandum pro sua Selneccerique sententia, si ex ipsis Cœnæ verbis confirmatio corporalis Christi præsentix petatur: quòd vel transsubstantiatio tunc admittenda sit, vel nostra potius interpretatio probanda.

Quòd secundo loco panis adorationem à se tolli ait Selneccerus, in eo aut fallit aut fallitur. Si enim ipsummet, & essentielle Christi *2. Error*  
*ἀρτολα-*  
*πεία.*  
 corpus & sanguis In, Sub, & cum Pane ac vino Cœnæ Dominicæ corporali præsentia adest, vel cohæret, quoniam hoc corpus à λόγῳ

3. error,  
Mutila-  
tio Sacr.

4. Con-  
substant.

Dei (cui  $\alpha\gamma\omega\pi\lambda\epsilon\omega\varsigma$  unitum est) separari non potest, & vnà adoratur, certè & hic quoque panis, qui eum habet re ipsa coniunctum, vnà adorabitur. Quãobrè neq. dubitauit Lutherus ipse primushuius (vt isti volunt) cõpanatorix Christi corporis sententiæ autor ad Colonien- ses theologos scribens, dicere *in sum Panem esse adorabile Sacramentum*. Quin & mutilatio sacramenti ex eadem Selnecceri sententiã sequatur necesse est. Si. n. ipsum verũ & essentialiale Christi corpus, In, Sub, & cum pane Cœnæ coexistit, aut ex sanguine, & ex succum illuc aderit, aut sanguine suo plenum. Ergo qui cum pane verũ illud corpus Christi sanguinis sui plenum ore semel sumpserit, vino aut poculo postea nihil habet opus, vt substantialem Christi sanguinem iterũ bibat, quod eum iam cum pane, id est, cum essentiali corpore Christi hauserit. Quartum verò errorẽ nempe consubstantiationem eius panis cum corpore, & sanguine Christi vnionem, ac coexistentiam ex Selnecceri errore induci, ne ipsi quidem focii negauerint. Itaque dicis duntaxat causa id à se repellit Selneccerus, quod tamen in sinu, & quidem lubèter admodum, fouet. Quid enim est, obsecro, affirmare ipsummet, ac essentialiale corpus, & sanguinem Christi adesse corporali præsentia, & substantia In, Sub, & cum pane, & vino Cœnæ, quàm velle ipsummet corpus, & sanguinem Christi

fti cum signis illis coexistere, & habere suam  
 substantiã cum iis, eodẽque loco? Porro *Συνο-*  
 quòd idem hĩc Physicam *συνουσιαν*, vel In- *οια.*  
 clusionem sibi probari negat: sed eam tan- *6.*  
 tũm quæ fit cœlesti, & incomprehensibili *Inclusio.*  
 nobis modo, bene habet. Neque enim iam  
 negat se includere velle substantiale illud  
 corpus, & substantialem sanguinem Christi  
*συνουσιαν* In, & cum signis istis, Pane nempe,  
 & vino: sed tamen id fieri negat Physico  
 modo. At quacunque tandem ratione &  
 modo id feceris, atque verum illud, ac essen-  
 tiale Christi corpus & sanguinem In, Sub,  
 & cum istis signis corporali & substantiali  
 præsentia coniunxeris, certè Christi carnem  
 de cœlo detraxeris: vel vnum idẽmque  
 corpus contra veritatem omnis corporis etiã  
 hyperphysici infinitis simul locis constitue-  
 ris: vel tertium quendam Christi de cœlo  
 descensum finxeris: quæ tamen omnia refu-  
 tat vniuersa Scriptura sacra. Quid igitur?  
 Ait tandem Selneccerus se sacramentalem  
 vnionem agnoscere, nec aliam vllam, quàm  
 quæ verbis Christi monstretur. Et nos quo-  
 que agnoscimus. Quid igitur obstat quomi-  
 nus inter nos summa iam sit consensus? hoc  
 nempe, quòd Selneccerus hanc sacramentalẽ  
 vnionem definit ex sola corporali præsentia,  
 & substantiali coexistẽtia rerum signatarum  
 cum signis ipsis, adẽdò vt verã & essentialẽ

Christi carnem, & sanguinem oporteat reipsa adesse, ac existere corporali, sed non tamen ( vt ipse loquitur ) Physico modo cum Pane, & vino Cœnæ. Nos autem sacramentalem vnionem rei & signorum ex ipsa Christi promissione, verbisque institutionis definientes, dicimus eam esse *ἐνσυνιέντων, & ἑνωμένων*, non corporalem. Ergo fit quidem, vt exhibeatur spiritualiter animis nostris quod signa ipsa demonstrant, & obsignant. Res autem ipsa sacramenti. i. Caro & sanguis Christi minimè propterea vel cum signis coniuncta est, vel corporali præsentia illis adest. Selneccerus igitur alibi, vt mox videbimus, concedens corpus Christi manere, & esse circumscriptum, & esse corpus secundum verū corporis modū. i. quum suam sententiam tueretur, Christum de cœlo detrahit, quod fieri vetat Paulus : & duos Christianæ fidei articulos, nempe, *Ascendit in Cœlum, inde venturus est ad iudicandum viuos, & mortuos,* vel prorsus expungit, vel interpretatione sua conuellit. Nos autem vtrumque & retinemus, & nostra interpretatione reliquis fidei Christianæ articulis *ἀνάλογον* esse comprobamus. Inde quoque fit, vt sacrosanctum corpus Christi ab indignis, & improbis orali manducatione edi affirmet Selneccerus. Nos autem signa tantum ab illis sumi contendamus, quæ quoniam corpus, & sanguis Christi *πρωτικῶς* appellantur, etiam hoc modo, & sensu, corpus, & sanguinem Christi ab

iisdem indignis edi sanè concedamus: non autem vt ipsum essenziale, & reale corpus Christi ab iisdem edatur, quod nec nisi vera fide sumitur, & sumptum non nisi saluificum, & viuificum esse potest sumentibus. August. in Ioan. tract. 26. *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat de-  
tibus sacramentum corporis, & sanguinis Christi.* Hanc igitur nostram, vel potius Augustini cum Selneccero sententiam inter se conferant pii, nullóque præiudicio, ac perturbatione animi occæcati homines.

SELNECCERVS pag. 17.

*Scimus etiam adesse Christum non propter Panem, aut propter elementa: sed propter hominem, & verba institutionis recitari non propter Panem, sed propter Christianos: Et paulò post, Nō enim Christi corpus vllò modo ad Panem colligamus, neque duplicem præsentiam, aliam cum Pane, aliã cum homine constituimus, sed vnicam præsentiam esse affirmamus, quam Christus ipse nobis ostendit, inquit, Accipite, edite, &c.*

DANÆVS.

Alia quoque suæ sententiæ incommoda præsentit quidem Selneccerus, sed ea verbo tenus, & sola inficiatione confidenter auer-

tit. Nos autē hęc omnia ex ipsius assertionē  
 necessariō consequi demonstramus. Primum  
 ait scire se Christum in Cœna propter ho-  
 mines, non propter Panem adesse: & hæci-  
 ipsa Christi verba, *Hoc est corpus meum*, ad  
 homines, non ad Panem, aut Elementa diri-  
 gi. Cur igitur Corpus ipsum, & substātialem  
 sanguinem Christi necessariō præsentia cor-  
 porali cum signis ipsis adesse contendit? Aut  
 enim Selneccerus ita sentit, non posse eam  
 Carnis, & sanguinis Christi communicatio-  
 nem nobis à Spiritu S. dari, nisi corporaliter  
 præsens adsit ipsa Caro, & sanguis. Id quod  
 apertissimè & de Dei omnipotentia detra-  
 hit, & physicū præsentia carnis Christi mo-  
 dum statuit in Cœna Domini. Aut si ipso e-  
 tiam concedente potest Christi Caro sine  
 ista corporali ipsius cum signis præsentia  
 nobis communicari, cur eam necessariam es-  
 se vult? Certè nulla alia eius ἀκολουθου ratio  
 afferri vel ab eo ipso potest, quàm quòd ver-  
 ba institutionis ad ipsa Cœnæ Elementa di-  
 rigi cogitat. Itaque hoc Sacramentum à Ba-  
 ptismo differre isti ex Papistarum dogmate  
 sic volunt, quòd in Baptismo verba institu-  
 tionis ad Ministrum: in Cœna verò ad ipsum  
 Panē & Vinū dirigantur, & pertineant. Quæ  
 sanè fuit verus Transsubstātiatorū, & schola-  
 sticorum sententia, etiā in fœtidis Iuris Ca-  
 nonici ollis recocta. Secundo loco negat se al-  
 ligare Corpus Christi ad Panē. Verbo quidē  
 id negat, sed re tamē id ipsum affirmat, quod  
 se

se negare dicit. Quid. n. obsecro aliud ex hac ipsius sententia sequitur, quàm quod perpetuo docet, Nō posse aliter in Cœna Domini corpus ipsum, & substantialem sanguinē Christi nobis dari, quàm si corporali præsentia cum Pane, & poculo adsit? Qui alium nullum participationis, & *κοινωνίας* nostræ in Cœna modū nobis relinquit, quàm per istam præsentiam, & coexistentiam corporis Christi cum signis, nōne ille apertè, quicquid contrà loquatur, corpus Christi alligat ad Panē, & Vinum? Parum enim verba iuuant, & nos mouēt, vbi res ipsa aliud perspicuè testatur. Denique quòd se duplicem carnis Christi præsentiam affirmare negat, nimirum in eo iam & à seipso, & à sociis dissentit. Nam vbique ipse cum sociis ipsummet Christi corpus fingit esse triplex: & illius præsentiam triplicē, nedum duplicem commendat. Aliud enim Christi corpus volūt esse Physicum, quale ex Maria virgine Christus assumpsit, & est, manetque in cœlo. Aliud gloriosum, quod per resurrectionem accepit, & citra vllum impedimentum omnes corporum dimensiones penetrat. Aliud denique, & tertium, quod ipsi ob summā ipsius gloriā appellāt maiestaticum, & est post sessionem ad dexterā Patris quotcunque vult simul locis reipsa præsens, & quocunque ipsa se diffundit Deitas Christi. Ex quo fit, vt aliam corporis Christi præsentiā Physicā: aliā gloriosam: aliā Maiestaticā esse velint, adeoq. Hieronymi dictū de

*In lib. Cō  
fut. Ac-  
cusat.*



duplici carne Christi difertè alibi ipse Selneccerus incunctanter probet: & Canonistarum, i. veterum blasphemiarum rancidū ius, tanquam recentissimum, ac suavisimū quoddam olus nobis reponat. Iestas præsentias, & species corporis Christi tam multiplices vel palàm abneget Selneccerus: vel desinat verbis detestari, ac damnare, quod ipse re, & passim in suis scriptionibus confirmat.

SELNECCERVS pag. 18, & 19.

*Ceterum quòd attinet ad fructum, siue spirituales manducationem, nulla est controversia. Christus enim instituit sumptionem hanc corporis, & sanguinis sui ad exuscitandam, & confirmandam fidem, & vult in hac sumptione fieri salutarem recordationem mortis, & resurrectionis sue, & omnium suorum beneficiorum: ideò, inquit, Hoc facite ad mei recordationem. & pag. 19. De hac igitur spirituali manducatione inter eos, qui Sacramentarium nomen, Cinglia nora, & similiū obtinent, & inter nostras Ecclesias, nulla est disceptatio.*

DANAEVS.

Hoc sibi vult Selneccerus inter nostras & Germanicas Ecclesias, quæ se Lutheranas (vt ipse alibi scribit, fateturque ingenuè) vocant, esse disceptationem non de fructu, qui

qui ad credentes ex Cœna Domini redit: sed duntaxat de modo, & ratione, per quam nobis communicatur. Id est, de modo tantum huius nostræ cum carne, & sanguine Christi communicationis. Et verum dicit ille quidē. Itaq. neq. vt Mahumetani, vt Athei, vt Epicurei, vt Turcæ, vt impii fumus in pulpitis, mediâq. ipsorū Ecclesia proscindēdi, nisi ipse se, suosq. tales esse fateatur, qui nobiscū in re ipsa cōsentiūt. Sed hæc acerbissima conuicia logâ & diuturna istorū hominū cōsuetudine, & petulantia iam in nos trita facta sunt. Leuiora enim alia nō commemoro, quibus nos iam pridē obsurduimus, quādo istorū summā hodie eloquentiā in his calumniis in nos exaggerandis, populóque propinandis, & vociferandis sitā esse ex bonis, piisque viris audimus. Et quòd veteris sui moris nequaquā oblitus Selneccerus, ne hīc quidem potest conuiciis abstinere, & nos sine Sacramentorum, & Cinglianorum contumelia nominare, docet quā procax ingenium habeat, miniméque Christianæ charitati subactum, atque cōsentiens pectus. *Αγαπῆν ἔστιν περὶ τοῦ ἑαυτοῦ* inquit Paulus, quod iam pridem Lutherus ipse conuertit, *Charitas non est procax* *1. Corint. 13. 7. 4.*

*tulans.* Nec Zuinglii equidem, nec Oecolampadii, nec Caluini, selectissimorum Dei in ipsius regno promouendo, restituendâque mundo his postremis sæculis veritatis lucē organorum pudet, pigétve: propterea tamen, Selneccere, neque Cingliani, neque

Oecolampadiani, neque Calvinistæ sumus non magis quam tu Chemnitista, & tui sunt Iacobandreami: sed fumus Christiani, vt nomen nostrum, fideique nostræ professionem in posterum noris. Quod si te Lutheranum dici, & appellari delectat, quasi postquam in Lutheri nomen inuaseras, in ipsius quoque locum, & laudem sis repentè successurus: fruare tu quidem tuo sensu, & spe illa tua quantum vis. Nos, nec in Caluini, nec Lutheri, nec Zuinglii nomē: sed in vnus Christi doctrinā & fidē baptisati sumus, in cuius quoque solius verba iurauimus, & nunc quoque iuramus. Itaque qui in hac causa moderationem adhibendam, & animorum ulcerationem reprimendam esse censes, obsecro te, vosque omnes socios per vnigenitum filiū Dei D. N. Iesum Christum (cui tantæ petulantix rationem estis tandem aliquando reddituri) desinite viris bonis in Domino mortuis, in Paradiso feliciter quiescentibus: denique apud Deum ipsum vita æterna fruētibus, desinite, inquā, illis maledicere: & Christianè disputare, conferreque nobiscum assuescite. Quod ratione fieri, non conuitiis debere omnes Christiani vident. Verè quidem certè dixerit Selneccerus totam inter nos & illos esse de modo *nostras* disceptationem, ac cōtrouersiam. Nam illi non nisi corporali presentia, & assistentia ipsius essentialis corporis, & sanguinis Christi In, Sub, & Cū signis terrenis eam fieri posse contendūt. Nos contra

trà spiritali modo, & ipsius Spiritus S. virtute, etiam si in cœlo verū corpus, & sanguis Christi manet. Denique eam essentialis Carnis, & sanguinis Christi participationem à fœlis fidelibus fieri ex Dei verbo, analogia fidei, & perpetua sacramentorum definitione demonstramus. Hoc igitur sine cuiusquam contumelia dicimus, & vtra verior sit doctrina ex scriptis diuinis diiudicandū cui libet pio proponimus.

SELNECCERVS pag. 20.

*Concedant nos Christo tribuere laudem omnipotentiae, & veritatis: concedant nos rationis nostrae iudicium, & sapientiam, atque omnem scientiam subicere verbo, ut captiuam, in obsequium Christi.*

DANAEVS.

Vtinam verò Selneccerus verā veritatis, & omnipotentiae laudem Christo tribueret. vtinam vellet suam illam iam præiudicatam sententiam deponere: & Christi voci totum se placidè submittere. Si Christum veracem fatetur, & agnoscit, ergo corpus verè humanū illi etiā post resurrectionem tribuat necessè est, quod carnem & ossa habeat, quod manus, quod pedes, quod denique suam ~~et-~~ *περὸς*, & situm, & dimensiones finitas, suo certo spatio circumscriptas habeat. Malestasticum autem illud corpus, quod tam patens esse vult, quàm ipsa diuinitas latè

*Luc. 24.*

*Ioan. 2.*

patet, Christo iam adimat necesse est. Quod sanè corpus ipse cum sociis abhinc duodecim annis magno commento Christo affinxit. Si Christum veracem agnoscit Selneccerus, admittit hæc verba Christi, *Semper pauperes habebitis vobiscum, me vero non semper habebitis. Item, Ego proficiscor ad Patrem. Item, Ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Item quæ de Christi corpore glorificato dicunt Angeli ipsi credet vera esse Selneccerus, Surrexit, non est hic. Quod ne meum esse existimet, Augustinum ipsum patienter, quæso, audiat, *Tractat. 21. in Ioa. Euangelium.* *ste qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Quomodo eum videbāt ire? In carne quam tetigerunt, quam palparunt, cuius etiam cicatrices tangendo sibi probauerunt: in illo corpore, in quo cum eis intrauit & exiuit per quadraginta dies, manifestans se eis in veritate. i. non in aliqua falsitate, non phantasmate, non umbra, non spiritu: sed quemadmodum ipse dixit non fallēs, Palpate, & videte, quia spiritus carnē & ossa non habet, sicut me videtis habere. Est quidem illud iam corpus dignum cælesti habitatione, non subiacēs morti, nō mutabile per ætates. Ergo corpus Christi huiusmodi esse agnoscet, vt eodem tempore pluribus simul in locis esse nequeat: & confitebitur Christum iam in cælum ad Patrem ascendisse, non autē hīc corporali præsentia siue visibili, siue inuisibili modo inter nos, aut cum signis adesse. Quæ noua & com-  
menti-**

mentitia est cuiusdam Andreae Musculi sententia, vt pro vera Ascensione Christi solam disparentiam, & in hoc aere ac inferiori mūdo euanescentiam constituat: quod ipsius articuli, & theses in media ipsa Germania excusæ disertis verbis testatur. Christum verò & nos ipsi omnipotentem esse confitemur, Selneccere, & agnoscimus, atque etiam prædicamus: sed non ipsam Christi humanitatem, ne illam naturam, quæ certè creata est, temporisque principium habuit in ipsam θεότητα, quemadmodum Eutychiani fecerunt, impiè commutemus, id est, ne ipsam Christi humanam naturam aboleamus: & intolerabili blasphemia ex creatura ipsa Nouū quendam Deum creemus. Neque verò quātūvis ab humanæ rationis regula, ac iudicio abhorrere se dicat Selneccerus, negare tamē potest, quin *ἡ ἀλογισμὸς*, isque puerilis à cōpositione ad diuisionem, *vel à non distributo ad distributum*, vt Philippus loquebatur, apertè committatur: quum quæ de tota persona Christi dicuntur propriè & in concreto, de singulis eiusdē personæ naturis eadē quoque propriè dici, & enuntiari affirmentur. Et sanè minimè debuit tam senex magister, esse optimæ artis, nempe Dialectices, tantopere inimicus, vt sic illius præcepta negligeret, & sūsq; deque omnia in hoc tam angusto argumento haberet.



## AD SECUNDAM E-

IVSDEM LIBELLI PARTEM,  
in qua continetur examen Sacra-  
mentariæ Exegeſeos in Saxonia an-  
no M. D. LXXIII. à quodam pio  
viro editæ. *In Johanneſimo rursu*

**H**ANC alteram libelli Selnecceri  
partē, & ipſe examinaturus, quē-  
admodum in ea Selneccerus ipſe  
exegeſin ad ſuū examen reuocat,  
quā iuſta illius exegeſeos ſcribendæ ratio  
fuerit, breuiter prius exponā. Sic enim & lōgæ  
præfationi, quam in hanc ſecundam libri ſui  
ſectionem addidit, reſpondero: & quod de  
conſcientiæ præſidio in ſua illa ſententia ad-  
uerſus graues tentationes ineſſe iactat: & de  
authoris ipſius exegeſeos aſtuta mente com-  
minſcitur: de Philippi tanquam pro ſe pu-  
gnantis epiſtola ad Oecolampadium aſſert:  
denique de veteri Eccleſiæ ſpecioſa quidē,  
ſed eſſentia pro ſuæ interpretationis auto-  
ritate, & de ſui ſtudii in hac quæſtione, reſu-  
tationēque inſtituenda pietate teſtatur, ve-  
riſſimè reſutauero. Nam hoc totum tale eſſe  
apparebit, vt fucus tantū bonis factus, &  
ma-

manifestæ istius hominis ambitioni prætextum fuisse quælitum appareat. Huius autem totius narrationis, & veræ historiæ hoc erit exordium. Mortuo M. Lutero (cui, cum propter veram pietatem: tum singularem in restituenda Euangelii luce constantiam multum debet, semperque debebit omnis posteritas) maxima fuit in Germanicis ecclesiis Ph. Melanchthonis autoritas. Hunc quum Deus ingenio placidissimo, & ab omni acerbitate, contentioneque animi remotissimo finxisset, vidit tamen difficiles, & funestas in Ecclesia Dei de gravissimis rebus, imprimisque de sacra Domini N. Iesus Christi cœna controuersias, in ipso Euangelii renascentis exordio, ipsaque adeo Lutheri ætate motas. Est enim verissima illa Christi sententia, *Matt. 13. v. 27.* quod cum primum bonum doctrinæ cœlestis fenum in mundo spargitur, Satan ille gloriæ Dei coniuratus hostis zizania statim, eodemque momento superfeminat, vt regnum Dei turbet, & ne tanto Dei beneficio frui sine sanguine, & puluere nobis liceat. Hæc tam periculosa cer tamina, tamque miseræ Ecclesiæ Christi non tantum vexationes, sed etiam lacerationes, ac distractiones, quum lenissima illa anima Philippus toto pectore detestaretur: quoad vixit, & quantum quidem in ipso fuit, vel leniit, vel repressit, adeo vt toto illo Philippicæ gubernationis tempore, in Ecclesiis Dei Germanicis & satis quæta,



tranquillaque omnia permanerent. Nam erumpebant quidem nonnullæ istius latentis ignis, & incendii, quod iam apertè grassatur, & omnem concremat Germaniam, scintillæ: & quorundam malè feriatorum ambitio leues quasdam flammæ, & eas tamen fœdas eructabat: sed hæ omnes vel boni illius senis Philippi autoritate, (quæ iam erat confirmata): vel eruditione, quia omnibus istis præceptoris loco fuerat, extinguebantur. Extincto verò ipso Philippo, & in cœlum recepto, tantam ruptis omnibus concordia, & pacis fœderibus, & iniecto in Germaniam *εἰδος μὴ* *λσ*, cum nemo inter ipsius discipulos tantæ autoritatis, vel virtutis vnus esset, qui omnium aduersariorum posset conatus comprimere: varias sectas, variâque certamina pruritus iste digladiandi tandiu cohibitus, tandem excitauit. Nec ea res tamen, tam citò, quam multi volebant, apparuit. Nam post mortem Philippi moderata quorundam virorum bonorum ingenia, quæ illam præceptoris lenitatem, ac mansuetudinẽ retinebant, petulantes aliorum, furiososque impetus coercuere: quorum tamen sanis cõsiliis non diu suus locus, suâque vis, & autoritas concessa est. Præfracti enim quidam, & temerarii, qui quantum moræ ad conseruandam pacem interponeretur, tantundem suos triumphos retardari iudicabant, veteres illas & Ecclesiis Dei tantæ exitiales controuersias acerbius, quam antea (vt prunatum sibi in Ecclesia quisq. statim

vsurparent) mouere, motas exagitare: denique omnia in Germania perturbare, ac præfertim in Saxonia, & Academia Vittebergen si cælum terræ miscere confidenter cœperunt. Itaque anno Domini 1573. cùm etiam obiisset diem suum post Philippum M. Ioachimus Camerarius, alterū illud Germaniæ lumen (cuius nomen, ac eruditio violentos istos homines Lipsiæ in ordinē cogebat) apertū iam Ecclesiæ Dei bellū indici cœpit. Nec enim quemadmodum est in fabulis, auream illam hominum ætatem, quæ breuis fuit in Germania, argentea, vel ænea: sed statim ferrea excepit. De qua certè, & verè, & magno cum piorum omnium luctu à plerisque viris piis audio dici,

Μηκέτ' ἔπειτ' ἀφειλον ἔγω πέμπτοισι μετέϊναι  
 Ανδράσιν, ἀλλ' ἔκ πρόσθε θανέιν, ἢ ἔπειτ' αὖ γρυέσθαι.  
 Νῦν γὰρ δὴ γῆρας ἐστὶ σιδύρεον. ἔδ' ἔποτ' ἡμᾶρ  
 Παύονται καμᾶτου καὶ οἰζύος, &c. Et quia re-  
 cēs quietæ illius gubernationis, quæ sub Phil-  
 lippo fuerat, recordatio, ac dulcedo tam faci-  
 lè ex animis hominum deleri non poterat, vi-  
 sum est istis Germanicarum turbarum auto-  
 ribus maiori quadam vi & impetu rem to-  
 tam aggredi, vt non modò inclinatam bo-  
 norum aciem propellerent: sed si qui pro suo  
 in veritatem Dei zelo, piè, strenuèque adhuc  
 resisterent, latè profligarent. Ergo quum de  
 suscepta contentione ab istis nihil quicquam  
 remitteretur, imò fauor in dies clarigatio  
 fieret, tandem bonis quibusdam, & iis quidē

*Pet. 4.*

orthodoxis viris, qui supererant, placuit, vt Breuis, & perspicua sanæ de cœna Domini doctrinæ, & totius, quæ propter eam nata erat, controuersin explicatio ederetur, quam Exegetin illi nominarunt. Atque hæc editio idcirco necessaria visa est: tum vt suæ fidei rationem (quod Petrus fieri iubet) redderent: tum etiam, quoniam istarum turbarum sonitus ad vniuersas ecclesias iam peruenerat, ne orthodoxi, innocentésque homines apud suæ doctrinæ ignaros falso præiudicio grauerentur.

Editus igitur est anno Domini 1574 iste libellus, qui velut calidam suffudisset, & omnes istos ad arma, quanquam placidissimè cõscriptus tamen cõcitasset magno aduersariorum concursu, ac numero prius penè oppressus est, quam natus. Inter quos repertus est vnus Nic. Selneccerus in Academia Ienensi S. Theologiæ antea professor: sed nunc Electoralis doctor, qui illius libelli confutandi laborem sibi ex sociorum consilio sumeret. In quo vir iste parum vel prudens vel sui memor non recordabatur se pro nostris (quos nunc ita acerbè damnat) scriptum antea edidisse, in quo nostram sententiam apertè probabat. Sed socii, si Exegeteos doctrina salua maneret, suam de Domini cœna fidem incolumem esse posse pernegabant. Itaque cum magni momenti videretur quæ ad eam fieret

feret responsio, statim à Selneccero anno 1574. parata & scripta est, sed demum anno 1578. in lucem emissa, vt illa cæteris sociis communicata, & ab illis emendata, ab ipso autem autore diligenter perpensa, & diudicata solutiones, si quas haberent, solidissimas ad omnia Exegetæ argumenta, afferret. Hæc igitur N. Selnecceri responsio ad illam Exegesi qualis sit, quàmque firma, examinare iã nobis propositum est. Interim autem dum ista fiunt, & Selnecceri & sociorum opera pessimisque consiliis fuga bonorum facta est. Nam ex Academiis, vbi honestum suæ eruditionis præmiũ cõsecuti erant, alii eiectioni sunt: alii ex suis Ecclesiis reclamante grege ipso, expulsi: alii in carcerem coniecti, alii patria interdicti: alii aliter, omnes tamen miserè, magnò nempe Sinonum istorum dolo vexati sunt. Ergo cum sic in Ecclesiam, vacuasque Academias, tanquam in hostilem agrum isti irrupissent, alii ad Oderam in Marchionatu Brandeburgensi: alii in Sueuia Tubingia: alii in Saxonia Vittebergæ: alii Ienæ: alii Lipsiæ: alii denique alibi sese quisque de primatu, & præda grauissimè, etiam inter seipfos certare: adeò vt, ne nunc quidem, vt hos paucos pro omnibus testes producam, inter Hechussium, & VVidegandum: Iacobum Andream, & Nicol. Selneccerum conueniat: antea verò

nec inter Flaccum Illyricum summum *Ubi-  
que presentia carnis patronum, & alios, eiusdem*  
tamen consilii socios, ac reos.

Quæ omnia viris bonis non tantum meri-  
tò displicuerunt: sed velut maiorum calamita-  
tum initia eaq. lugenda, auertendaq. procu-  
rabantur, quantum quidem primum Deum  
precando: deinde hos ipsos priuatim, publicè-  
que rogando, ac monendo, efficere se posse  
credebant. Nihil tamen pii omnes apud istos  
obstinatos homines & de primatu inter se  
contententes efficere ac obtinere potue-  
runt. Itaque iterum propiorum iusta defen-  
sione proque orthodoxa doctrina veritatis  
edita est eadem exegesis: quam, vt antea, sic  
nunc Selneccerus totis viribus animi euerte-  
re conatur. Sunt autem tres exegeseos partes,  
In prima proponitur per *ἀνάλογον* vera senten-  
tia de forma substantiali sacrae Coenæ. Se-  
cunda cōfutat Coenæ interpretationes, & mo-  
dos inconuenientes præcipuos. Tertia in-  
ueniendæ in tantis animorum discordiis con-  
cordiæ rationem explicat. Sed his postremis  
duabus partibus nihil quicquam respondet  
Selneccerus. Cuius sui consilii rationem for-  
tassis ipse habet aliquam, nos autem nullam  
videmus. Primam tamen partem, eamque o-  
biter tantum attingit. In qua quoniam quæ  
precedunt hanc suam refutationem omisit,  
operæ pretium est visum breuiter ea comme-  
morare, quæ in illa Exegesi ante verba à Sel-  
neccero hîc repetita continentur. Nam mi-  
nimam

ninam tantum, quandam illius, & vberissimi, & locupletissimi scripti partem, quæ velut per digressionem quandam addita fuerat, attigit Selneccerus, seu quod solidæ illius exegeleos argumenta confutare, quicquid tandem per totum quadriennium animo voluisset, non potuit: seu quod in nouo illo doctrinæ corpore, (quo præceptoris de se optimè meriti, Philippi, *velut εὐαγγέλιος viri*, ingrati isti discipuli, & piam memoriam, & erudita scripta damnauerunt) meditando occuparetur. Sed quod à Selneccero, vel de industria, vel negligenter omissum est, breuiter illi hoc loco suggeremus.

Veram igitur coenæ Dominicæ formam ordine explicaturus vir ille & pius, & doctus, hæc duo, quæ ad futuram disputationem lucem magnam afferrent, essentque huius argumenti præcipua, & necessaria fundamenta primum omnium proponit. Qualis sit persona Christi sibi Ecclesiam, per sacramenta, velut instrumenta, colligentis: & qualis sit istorum Sacramentorum, id est, instrumentorum natura.

*Exeg. pa.*  
10. 11. 12.  
13. 14. 15.  
15.  
1.  
2.

## DE PERSONA CHRISTI qualis sit, sic statuit.

In Christo ex Maria virgine nato copulatas esse vnione hypostatica duas naturas, diuinam, & humanam, sine vnus cum altera confusione, quæ vnquam facta sit: ex quo idè

concludit etiam glorificatum, & exaltatū corpus Christi (quod isti maieftaticum vocant) immotas vel specificas corporis proprietates adhuc retinere.

Atque ne cuiquam dubium restaret, tam necessarium disputationis huius fundamentum, solidissimis argumentis illud cōfirmat. 1. ab ipsa scripturæ autoritate. 2. Philippi communis omnium præceptoris testimonio, quem isti ipsi viuentem, vt orthodoxum, ac rectè docentem semper amplexi sunt: nunc autem impiè lacerant mortuum. 3. Ignatii, Augustini, Athanasii, ipsorum denique scholasticorum sententiis. 4. A definitione corporum, in quibus pii ipsi, qui Christo conformes futuri sunt, resurgent. 5. Denique ab ipsius Lutheri (cuius irrefragabilem esse autoritatem vel isti facillè concesserint) sententia, qui sæpius illud inculcans, *Tollens proprietates, tollit naturam*, omnem corporalem carnem Christi in cœna præsentiam sustulit, & inconfusas incommunicabilesque manere essentielles naturarum proprietates proculdubio sensit, & dixit. Hæc omnia, & quidem grauissima Exegetæ argumenta, cæcis tamen oculis, & leui saltu transfilit Selneccerus, quoniam quod aduersus suorum præceptorum tam manifestam autoritatem afferret, non haberet, nisi eos impietatis, vti nos, accusaret. Et ne isti vetus illud suum de Idiomatum communicatione frustra

strà occinerent, quæ vis, & interpretatio esset locutionum huius generis. breuiter, & commodè Exegeta demonstrauit. Huiusmodi nempe locutiones in concreto, id est, in ipsa Christi persona veras esse, quia in persona vtraque natura continetur: de singulis autem illius personæ naturis, id est, in abstracto, non itidè verè enuntiari. Vnionem enim in persona facere quidem nomina communia, naturarum autem confusionem non inducere, quemadmodum præclarè Theodoretus iam pridem docuit. Nomina itaque significantia proprietates naturarum, nunquam confundi. Nunquam enim verè, & propriè dici, humanitatè Christi esse omnipotētē, aut deitatem Christi passam esse: etsi verè dicitur de Christo. Deus passus est, homo hic est filius Dei. Hoc Nazianzeni, Theodoreti, Gregorii Magni, Vigili probat apud ipsam exegetin recitata autoritas: hoc idem sacra scripturæ demonstrant: hoc definitio idiomatum communicationis, quicquid noua sua inter *ἰσοοσίαν*, & *κοινωνίαν*, cōmentitiæque distinctio nuper finxerit Selneccerus, propterea quòd vulgarem suorum ad nostra argumenta solutionē prorsus inanem, inutilēmque cernebat. Denique Lutherus ipse sic planè nobiscum faciēs scribit, *Fides catholica hæc est, ut unum Dominū Christum confiteamur verū Deum, & verum hominem. Ex hac veritate geminæ substantiæ, & unitate personæ, sequitur illa, quam docemus: idioma- tum communicatio, ut ea que sunt hominis rectè*



de Deo: & è contrà que sunt Dei de homine dicuntur. Verè dicitur, Iste homo creauit illum, & c. & Deus iste est passus. Non tamen hæc verba sunt in abstracto, vt dicitur, humane nature. Hæc Lutherus. August. in Ioan. Euang. Tract. 18. Non ergo Iesus carnem æquabat Patri, non formam serui Domino comparabat. Sed & hæc omnia Exegetæ, quemadmodum iste vocat, fundamenta, quoniam sunt vera, & inexpugnabilia non refutat in suscepta illius exegeteos oppugnatione Selneccerus.

### DE NATVRA SACRAMENTORVM sic eadem Exegetis definit.

Exeg. 17.  
18. 19.

Sacramenta esse externos ritus incurrentes in oculos, qui instituti sunt, vt sint sigilla promissionis, & testimonia applicationis illius ad singulos fideles: ex quo concluditur in Sacramento nullam esse Physicam, aut substantialem, aut corporalem rerum significatarum cum signis præsentiam, & coexistentiam.

1. Ratio quia signis ipsis nulla est facta promissio, sed ipsi homini. 2. Quia Christi caro est in coelo non in his terris. 3. Quia nulla fit substantia ipsius carnis Christi cum nostris confusio. 4. Quia sacramenta non sunt miracula, vt ipsa corporis Christi cum Pane miraculosa, & inuisibilis copulatio fiat. Ex quo colligitur coenam Domini, cum fit Sacramentum, esse ritum externum, in quo per Panis, & vini vsum ex Christi ordinatione ex fide

fide sumptum substantialis Christi corporis, & sanguinis communicatio, & applicatio fit in credentibus, vt se & in Christo insertos, & omnium ipsius beneficiorū participes, & vera Ecclesiæ membra factos esse certissimè, veràque *πληροφορία* credant. Hæc est breuis, & perspicua sacræ Cœnæ definitio, quæ in Exegesi continetur quæq. postea per singulas definitionis partes, accuratè probata est. Sed reliquis tum probationis argumentis, tum ipsius Exegeseos partibus præteritis, credo, vt citius sese ex illis angustiis (in quas eum focii, delegata tanta prouincia, coniecerant) expediret: atque adeò ea ipsa parte, (quæ tuendæ in Ecclesiæ Christianæ pacis rationem demonstrat) à Selneccero prorsus, & apertè repudiata, ac etiam damnata ( vt homines istos *ἀσπόνδους* esse iam ex ipsorum ore omnes intelligerent) vnã duntaxat partem ex illis quatuor arripuit Selneccerus, in qua se exerceret, & cui si satisfecisset, abundè se munere suo perfunctum esse gloriaretur. Illud autem est tertium, vbi Exegesis Silesium quendam Enthusiasten refutans dixit, *Nullam fieri substantia ipsius carnis Christi cum nostra in cœna participatione confusionem.* Hanc igitur Exegeseos sententiam, quia valde Selneccero displicuit, Silesi que illius & Skuenfeldii errorem obtinere mauult, in secunda huius libri sui parte, confutare ipse toto conatu aggressus est: quod quàm piè, verè, & foeliciter ab eò susceptū sit, agè iã semoto

omni animi præiudicio ppēdamus. Primum autem ipsius Exegefeos verba adducamus: deinde Selnecceri ad ea responsum: cuius ipsius examen tertio loco placidè subiiciemus, quæadmodum iam in priori huius libri Selnecceri parte fecimus.



*Exegefis. pag. 18.*

PRIMUM ARGVMENTVM  
aduersus eos qui substantiarum carnis Christi, & nostræ in Cœna Domini confusionem fieri censent.

Corpus Christi, sicut mille loci veterū testantur abductum est à nobis. Ergo nulla pars substantiæ ex illo nobis infunditur. Hoc Exegefeos primum aduersus substantiarum confusionē à Silesio, & Skuenfeldio introductam in Dominica cœna argumentum, sic refert Selneccerus, pag. 29.

*Corpus Christi abductum est à nobis,*

Ergo

*Non est presens in Cœna, nec manducatur.*

Examen.

**P**rimū omnium ex Selneccero quæro, probétne ipse Silesii istius sententiam de substantiarum carnis Christi, & nostræ inter se confusione in cœna Domini, quæ ab Exegefi

gesi refutatur. Nam aut frustrà in iis Exegetas argumentis, quæ contra *συγχύτας* illos proferuntur, cõfutandis laborat Selneccerus: aut ipse istam substantiarum confusionem in Coena Domini fieri sentit. Si non id sentit, cur deploratam Skuenfeldianorum causam restituit, & eã etiam maximè absurdam, & falsam defendit, à qua se tamen alienum credit vult? Sin probat, & tuetur, id igitur profiteatur ingenuè, & veteri suo errori hunc novum iam addat, & monstra monstris accumulat. Nec enim inter Exegetam, & Silesium propriè de eo ipso quæstio est, de quo inter eundem Exegetam, & Selneccerum agitur. Inter illos enim de re ipsa quæstio est, quæ in coena Domini piis, & credentibus communicatur: vtrum nempe caro ipsa Christi quatenus est physica quædam moles, & substantia nervis, ossibus, & sanguine compacta cum nostris animabus ad earum alimoniam misceatur, quod sentit Silesius. Sed ad cuius erroris tam absurdi confutationem vel vnum illud Christi de carnis suæ & sanguinis communicatione loquentis satis est: *Verba quæ loquor vobis, Ioan. 6.*

*Spiritus & vita sunt: Caro non potest quicquam.*

Inter hos autem Exegetam nimirum, & Selneccerum de modo communicationis disceptatio est, vt ipse antea Selneccerus fateatur, vtrum nimirum quum Caro illa Christi *uiuifica*, & *caelestis illius succus*, *spiritusque nobis ad vitam spiritualem in Coena communicatur*, corporali ipsius carnis & sanguinis

nis essentialis Christi præsentia cum signis sit omnino opus an non : sunt igitur profectò dissimillimæ quæstiones istæ, quæ non erant à te, Selneccere, confundendæ. Sed fortasse, vt alia multa absurda, sic hæc quoque ex illa sua corporali præsentia sequi manifestè sensit Selneccerus : vel cum eadem illa exegesis argumenta suam de corporali præsentia sententiam euertere posse cerneret, his quoque respondendum esse iudicauit. Vt autem res habeat, & quæcunque sit istius tam sapientis Selneccerii consilii ratio, in hac sola Exegesis parte refutanda certè quidem immoratur. In quo illud primùm reprehendimus, quòd etiam in ipsa exegesi recitanda, quædam apertè hoc loco immutauit. Nec sanè, vt bonam fidem præstaret, aliis verbis descriptum esse debuit illud Exegesis argumentum, atque etiam extra ipsius Exegesis, id est, authoris mentem abductum. Sic tamen aduersus vtrumque in exegesi rectè concluditur. Ac quidem aduersus Silesium istum hoc modo, Si Christi corpus abductum est à nobis, Ergo nulla fit substantiæ illius cum nostra confusio, aut transfusio. Illa enim & corporum contactū requirit, & physicam præsentiam, & situm, quæ omnia in rebus à sese loco disiunctis neque esse, neque cogitari possunt. Aduersus autem Selneccerum isto modo, Si verum & essentialè Christi corpus à nobis abductum est in cœlos, ergo illud corporali, essentialiq. præ-

præsentia cū signis iam adesse in cœna Domini nequaquam potest. Quid igitur ad hanc, & quidem robustissimam, machinam subuertendam excogitat Selneccerus?

SELNECCERVS pag. 29.

*Responsio planissima, & verissima hæc est: Questio non est de Physicis proprietatibus corporis, sed de voluntate Christi, de qua quum constat, certum est eum facere & prestare posse, quod vult, & promittit: etiamsi illud non conuenire videatur corpori tantum Physico.*

DANAËVS.

Verba quidem audio: sed grauis equidem vulneris, quod Selnecceri sententiæ nunc infligitur, medicinam non video. Imò κρησουργετον potius hoc totum est, quicquid est, quam nodi illum irretientis solutio. Nam primùm τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτέει (quod certè vitiosissimum argumentandi genus est) Selneccerus, quum de voluntate Christi constare hîc affirmat: nempe quòd velit Christus corporali carnis suæ præsentia adesse in sua cœna. Hoc enim illi perpetuò negauimus: & ipsa adeò sacramentalium locutionum natura istiusmodi interpretationem

non admittit. Deinde hanc ipsam corporalem  
 carnis, & sanguinis substantialis Christi præ-  
 sentiam, non ex solis proprietatibus physicis  
 corporis: sed ex apertissimis ipsius S. Scriptu-  
 ræ testimoniis confutamus. Est enim hoc nõ  
 Physicum sed Theologicum axioma, Sel-  
 neccere, *Christus ascendit supra istos omnes visi-*  
*biles Cælos, quò & carnem, & sanguinem suũ*  
*essentialem intulit, vt ait Irenæus, & bi oportet*  
*esse, & contineri vsque ad tempora restitu-*  
*tionis omnium, extremique illius iudicij.* August.  
*Secundum id quod de Virgine natus est, secun-*  
*dum id quod à Iudæis comprehensus est, quod li-*  
*gno confixus, quod de cruce depositus, quod in se-*  
*pulchro cõditus, quod in resurrectione manifesta-*  
*tus, non semper habebitis me vobiscum, ait Chri-*  
*stus. Quare? Quoniam conuersatus est secundum*  
*corporis presentiam X L. diebus cum discipulis*  
*suis, & eis deducentibus videndo non sequendo,*  
*ascendit in cælum, & non est hîc. Hoc est etiam*  
*ipsius Lutheri dictum. Tollens proprietates, tol-*  
*lit naturas. His igitur primùm responde. Quã*  
*quam non video qua ratione possit Selneccer*  
*us à corpore Christi (quod siue  $\sigma\upsilon\upsilon\mu\omicron\nu\sigma$ , siue  $\upsilon-$*   
 *$\pi\epsilon\rho\sigma\sigma\omicron\mu\omicron\nu\sigma$  nominetur, certè semper verum*  
 corpus est, & manet: etiam postquam in Cœ-  
 lum euectum est) separare essentialia corpo-  
 ris proprietates, quas hîc ad conflandam no-  
 bis inuidiam Physicas appellat. Non magis  
 enim quod est essentialia detrahi rei cuiquam  
 potest, quàm ipsa illius forma, & natura, &  
 quàm verè affirmari pòt, aliquid verũ corpus  
 esse,

esse, & non esse. Itaque rectè Leo epist. 22. Leo I.  
Epist. 22.  
*Vnde non Deum tantum dicimus Christum, sicut heretici Manichæi: nec hominem tantum, sicut heretici Photiniani, nec ita hominem, ut aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam. Quamobrem nec huic suo præsidio minimè fatis confisus Selneccerus, ad aliud his verbis confugit.*

SELNECCERVS. pag. 29.

*Deinde quod ad Christi corpus attinet, non abductum illud à nobis ita est, ut Christus quum vult, non possit esse nobiscum in terris, etiam corpore, & sanguine suo. hoc enim dicere blasphemum est.*

DANAÆVS.

Selneccerus *ἐν 5<sup>α</sup> αὐτῶν. i.* exceptionem aduersus regulam hanc verissimam, *Essentiales corporis proprietates veris corporibus competunt,* affert, de solo nimirum corpore Christi, id est, de eo ipso, quod in controuersia versatur. Itaque petit principium & hîc quoque, ut antea, idque apertissimè. Ergo illud vnicum corpus contra aliorum verorum corporum naturam ait posse & in cœlo, & in terris eodè tempore, corporali præsentia adesse, quod quàm blasphemū sit, ipse potius cogitet, quàm nos appellet blasphemos. Hoc enim quod statuit si verum est, quid restat, quominus in castra Pontificiorum, & transsubstantiationis trās-



eamus, qui hoc ipsum fundamentum sui erroris sumunt, posse Christum sistere corpus suum ubicunque vult: & cum posse corpore præsentem esse in cœlis, & in terris? Sed si dicat Selneccerus, Christi corpus quum erit in terris, iam non futurum in cœlis: ergo de cœlis tunc descendat, & detrahatur necesse est. Atqui hunc grauiissimum errorem antea damnabat Selneccerus ipse. Præterea hoc ipsum essentiale Christi corpus in terris versans, aut vnicum est, aut plura: Si plura, non iam est verum corpus. Sin vnicum, quando in pluribus vel vnus Germaniæ, nedum totius orbis regionibus S. Domini Coena celebrabitur, Vbinam, quæ so, præcipuè corporali illa præsentia, ipsum illud essentiale Christi corpus aderit? Vittebergæ, ne potius, an Lypsiæ, an (vbi Iac. Andreas istorum omnium errorum hodie fons, & caput est) Stukardiæ, vel Tubingæ? Nā aut vno duntaxat in oppido erit, aut illud extēdi in immensum fingendum est, si omnibus in illis locis verū illud, & vnicum Christi corpus corporali præsentia cum signis cœnæ eodem tempore aderit. Quum hæc omnia cum fide veritam pugnantia per suam illam corporalem carnis Christi cum signis præsentiam, & assistentiam inducit Selneccerus, nonne obsecro blasphemias ipse apertissimas stabilit?

Philip. 3. Denique quomodo nostra corpora Christi  
 7. 21. corpori *σύμμορφα* erunt, si simul, eodemq.  
 tem-

temporis momento pluribus in locis, id est, & in cœlo, & in terris illud esse potest? Quid contra Bernardus? *ideo habitu, & omni habitu inuentus est, ut homo: nec in eo, quantum ad naturam debitum, signum aliquod singularitatis apparuit.*

Bernard.  
Feria 4.  
hebdom.  
Panof.

## SELNECCERVS pag. 29.

Et quod ad Ascensionē ad cœlos attinet, nequaquam impedit hęc substātialem presentiam, & māducationem corporis, & sanguinis Christi, iuxta verba institutionis: sed potius confirmat fidem, & orthodoxam doctrinam de corporali presentia Christi. Scriptura enim passim de ascensione loquitur, hunc in modum, Ascendit supra omnes cœlos, & penetrauit cœlos, &c. Cum igitur Cœli, ad quos Christus ascendit, sint super omnes Cœlos, nō debemus illos definire nostre rationis prædicamētis: sed scripturæ verbis, quæ illis non aliter, nisi beatitudine, maiestate, sublimitate, & virtute diuina: nō verò locorum intercapedinibus desinit.

## DANAÆVS.

Ex hac Selnecceri, quamuis troporum hostis, tropica, & figurata tamen interpretatione hęc tria sequuntur incommoda, & vicia vulnera planè cum ipso Dei verbo, non duntaxat autem cum humanæ rationis vero in-

dicio pugnancia. Primùm cœlos, in quos ascendit Christus, non loco, sed conditione tantùm ab hac terra distare. Ergo Christus in his terris etiam nunc versatur, Selneccero eum deducente de cœlo: sed alio, quàm solebat ante mortem, & cùm egeret vnà cum suis discipulis, modo nunc viuit inter nos: in eodem tamen nobiscum versans loco. Ex quo fit vt cœlum ipsum sublimissimum, & terra hæc infima sit ex sententia Selnecceri idem locus, cōtrà quàm & Genes. 1. & Ps. 115. credere doceamur, sed diuersa status & vitæ ratio. Secundum absurdum sequitur, nempe Animas piorū qui in Domino mortui sunt, cùm vnà cum Christo in illis *ἕτερον παρτοῦ* habitent, esse etiam in his terris: sed felicius iam hîc, tanquam in Elysiis locis, degere, diuerso que modo viuendi, quàm quum adhuc erant in suis corporibus. Vel sequetur, quod est tertium absurdū, alios esse cœlos, in quos Christus ascendit, & alios in quos illi piorum animi post mortem euolarunt, atque nunc habitant. Itaque falsum erit illud Christi latronē affantis, *Hodie mecum eris in Paradiso*. Hæc non ex humanæ rationis prædicamentis, sed diuinæ scripturæ definitionibus, & regulis ducta argumenta explicet prius, diluâtque Selneccerus. Quod autem idem ait, *Ascensionem Christi non impedire substantialem corporis Christi præsentiam, & manducationem*, fallit paralogismo, & Elencho confusionis. Non impedit quidē Ascensio Christi manducatio-

Genes. 1.

Ps. 115.

2. Absurdum.

1 p h e s . 1 .

Coloss. 3.

3. Absurdum.

Luc. 23.

cationem, & præsentiam substantialem carnis, ratione hominis illud per fidem sumentis, quia & fide fit, & situ corporis Christi nullo eget: sed impedit corporalem ipsius essentialis carnis, & sanguinis Christi cum signis Cœnæ præsentia, vel ipso Christo teste, *Ioann. 6. v. 62.* quoniã & Christum de cœlo detrahit, quod fieri vetat Paulus: & carnis Christi coexistentiam cum signis necessario exigit. *Rom. 10.* Inde euenit, vt istorum alii Ascensionem Christi in cœlum definierint esse Euanescentiam tantum, & ἀφανίσαν corporis Christi, adhuc tamen in nubibus, & nobiscum versantis, quod quantum à Manichæorum delirio distet, ipsi viderint: alii Ascensionem Christi velint esse factam sine corporis ipsius motu, & euectione in alium locum, & in cœlũ ipsum omnibus visibilibus superius: sed tantum mutationem fuisse status, & vitæ generis, qui manifestè ex ipsius Lucæ de Ascensione loquentis verbis refutantur: tot nẽpe diuerticula queruntur, vbi semel à verbi Dei veritate discesseris. *Act. 1. v. 9. & 10.*

SELNECCERVS pag. 30, & 31.

*Christum habere verum corpus humanũ uniuersa ecclesia vnanimiter confitetur, & Christum corpore θεϊγενετον esse, Physicè, & secundum veri corporis modum loquendo, nemo non scit & affirmat: De certo autẽ loco Physico nihil dicere possumus. Et quicquid afferant Exegetæ, nullum habeant cer-*

tum Vbi, siue locū, in quò Christum hominem collocent: atque verè Vtopista à nonnullis eā ipsam ob causam nominati sunt. Et paulò post, pag. 31. Et est illa Christianis indigna opinio, quòd Christus ita quandam Cœli partem occuparit, vt in ea, tanquam inclusus carcere, sedeat. Ego mori malim, quàm affirmare, Christi corpus non posse, nisi in vno loco esse.

## D A N A E V S.

Propè est, vt inter nos iam consentiamus, imò verò penè iam plus concedit nobis Selneccerus, quàm postulemus ipsi, quū corpus Christi glorificatum Physicum vocat: si modò postea ipse sibi constaret Selneccerus, neque leuitate quadam destrueret, quæ hîc ædificat. Nam hîc apertè scribit, hunc semper fuisse vniuersæ ecclesiæ consensum, Christū, post glorificationem nimirum suam (quoniã hîc est cōtrouersia nostræ status, & de ipsius Christi hominis in cœlo collocatione agitur) Christum, inquam, etiam post suã glorificationē retinere ac habere verū corpus humanū, *καὶ τὸ σῶμα*, circumscriptum, Physicum, etiã secundū veri corporis modū. i. suas, finitâsq. dimensiones habens, & locū occupans. Item illud ipsum corpus Christi in Cœlo esse: sed non ita ibi certo quodam loco, tanquam carcere

cere conclusum, vt alibi esse non possit. Quis hanc veritatē Selneccero non concedet? Atque vtinam ipse, sociiq. eius in ea constanter perseuerarent, quā ipsa S. Scripturæ manifestis. sententia illis expressit, certè nullas omnino in hoc articulo turbas iam pateretur sacrosancta Christi Ecclesia. Et quidē quum Christum, (quā homo est) in cœlum ascendisse & in cœlo esse, continerique vsque ad tempora instaurationis omnium, cum S. Scriptura dicimus, nolumus eum certo cuidam cœli illius loco, tanquam puncto quod digito designari possit, alligatum, affixum, aut ascriptum esse tanquam glebæ: sed affirmamus eum in cœlum, tanquam amplissimum, sublimissimum, firmissimum, augustissimūque sibi, ac omnibus Electis præparatum à Deo domiciliū sese recepisse post omnem Dei iustitiam impletam, id est, post salutis nostræ totū opus imperfectū, vbi gloria sua immensa, ipsisque adeo beatis Angelis incomprehensibili iam fruitur, ac omnem in omnes res conditas potestatem, etiam quā homo est, habet, atque exercet. Itaque lubenter illi Augustini sententiæ, cuius hoc loco obiter meminit Selneccerus, subscribim⁹, *Ubi, & quomodo sit in cœlo corpus Dominici, curiosissimum, & superuacaneum est querere, tātūmodo in cœlo esse credēdū est.* Quod igitur subiicit Selneccerus, sed ἀμυβόλωσ, *Malle se mori, quā affirmare Christi corpus non posse, nisi in vno loco esse, si sic intelligit,*

Act. 1.

2. 3.

Matt. 25.

Matt.

28.

August.

lib. de fid.

&amp; Symb.

cap. 6.

vt velit corpus Christi nullum in cœlo ipso  
 demonstrabilem digito, certòque aliquo spa-  
 tio dimensum & definitum locum occupare,  
 ibique perpetuò in certa quadam illius cœ-  
 li plaga hærere, aut versari, & nos in eo perlu-  
 benter Selneccero assentimur. Sin autem id  
 sibi potius vult (quod in hoc ipso libro su-  
 præ, & alibi sapius propter verba institutio-  
 nis Cœnæ scribit, verum esse affirmat) cor-  
 pus Christi non sic vno esse in loco, quin in a-  
 liis quoque locis simul, eodémque tempore  
 esse queat, nos iam hoc illi pernegamus. Nam  
 hæc postrema Selnecceri sententia tum de-  
 struit quæ ipse ædificata esse voluerat, nèpe  
 corpus Christi esse verū, humanū, *et in se ipsò*  
 Physicum, & corpus secundum modum veri  
 corporis: tum etiā ipsissimum salutis nostræ  
 fundamentum euertit, quoniam à consequen-  
 ti negat corpus Christi verè humanum cor-  
 pus fuisse, & per consequens negat naturam  
 humanam verè à Christo fuisse assumptam.  
 Quo quid magis blasphemum esse potest? Er-  
 go vtram sui dicti interpretationē sequi ma-  
 lit Selneccerus, ipse nobis explicet: sed apertè,  
 non obscurè, & ambiguè: perspicuis verbis,  
 non circuitione vlla. Nec enim id scribat,  
 quod à nobis intelligi nolit. Quod autem ad  
 conuitia, & ad confictā à se nouā illā *Uropista-*  
*rum* appellationē (quā suis prorsus cōuenien-  
 tem, tamen nobis stolidè impingit) pro more  
 suo contra Christianam charitatem facit, &  
 se hac ratione oblectare voluit. Sunt enim hi  
 flores

flores orationis, quos in nos beatus Selneccerus spargit inter suos: & sunt hi colores, quibus ab eo foedissimi depingimur: nimirum, ut aliquid ipsius scurrilitatis admixtum haberet, etiam hoc tam graue, & sacrosacrum de cœna Domini argumentum.

SELNECCERVS pag. 31. & 32.

*Recte dixerunt Iudæi de sacris literis, in omni loco, in quo inuenis pro hæreticis obiectionem, inuenis quoque medicamentum illius in latere eius. Et omnis locus, unde Epicurei facti sunt hæretici, responsionem habet à latere. Huius Rabinorum regule exemplum manifestum habemus in hac ipsa questione de localitate corporis Christi, ut aiunt, Physica, & inuariata. Dum enim disputatores ita volunt humanam Christi naturam à nobis abductam esse, ut remotior illa sit à nobis, quàm cælum est à terra, & ut ante ultimum Christi aduentum non sit reuersura, neque nobis reddi possit, quando quidem scriptum sit, Ascendit in cœlos: Inde venturus iudicare viuos, & mortuos: sacra scriptura eos retrahit, & compefcit, inserens hæc verba, Sedet ad dexteram Dei omnipotentis. Cohibenda igitur est, & reprimenda rationis humane audacia, ne plus sapiamus, quàm in hac vita*



nos decet.

DANAEVS.

Qui prius Vtopista à Selneccero vocati  
 sumus, iam Epicurei, & hæretici apertè no-  
 minamur. Ex quo apparet, quis sit istius ho-  
 minis pudor, & modus. Atque hic ipse hoc li-  
 bello *exulceratorum a timorum motus, & infa-*  
*nos impetus reprimendos esse*, concionabundus  
 scripserat. Sed virum, qui verè Christianus  
 est, non tantùm λόγων ῥήτορα, verùm etiam ἔρ-  
*ων πράκτορα ἢ ποιητὴν* esse oportet, vt ait Ia-  
 cobus: at non Selneccerum. In summa, mul-  
 tis verbis pauca complectitur, eaque ipsa et-  
 iam obscurè, quòd ne in his quidem ipsis satis  
 præsidii esse putat. Vult enim ex eo quod in  
 Symbolo fidei disertè scriptū est, *Sedet Chri-*  
*stus ad dexteram Dei omnipotentis*, substantia-  
 lem Christi carnem & sanguinem posse vbi-  
 que esse, vel in pluribus locis corporali præ-  
 sentia simul adesse, id est (vt socii ipsius & li-  
 berioris & apertius iam loquuntur) humanam  
 Christi naturam diuinæ exæquatam esse, ad-  
 eò vt vbiunque sit Christi deitas, ibidè quo-  
 que sit ipseus humana natura. Hinc Maiestati-  
 affixū: hinc effusio omnium deitatis Christi  
 proprietatum, etiam essentialium, in humanā  
 eius naturā reperta: & Vbi que præsentia hu-  
 manitatis Christi ab illis ipsis funestis typis  
 excusa. Denique infinita quædam alia huius-  
 modi monstra in lucem edita sunt, quæ tan-  
 dem, nisi Dominus ipse pro summa in Eccle-  
 siam

fiam suam clementia, auerterit, fidem ipsam Christianam inter eos euersura sunt. Ergo quemadmodum falsa interpretatione, & tropica, articulum, *Christus ascendit in cælum*, corripit: ita & hunc quoque posteriorem, *Sedet ad dexteram Dei patris*, prorsus immutat, quasi id significet, *Caro Christi illocaliter est omnipræsens*. quæ certè mira est, & omni piæ vetustati inaudita explicatio. Quàm longè aliud (vt superiores omnes, toties à nostris citatos omittā) Bernardus ille postremus penè Ecclesiæ aliquid adhuc puram in doctrina retinentis doctor, *Sedere*, ait, *presidentis est, sedere dominantis est, & regnantis. Ubique regnat, ubique imperat, ubique maiestas eius, sed gratia fortè nõ ita*. Ergo Christū sedere ad dexterā Patris omnipotentis est, Christū in omnia creata potestatem habere, etiā quā homo, & Ecclesiæ caput est, & noster Mediator: non autem cum carne sua humana ubique præsentem esse. Nec enim à potestatis & imperii iure ad situm corporis consequutio valet. Quis enim concedet sic rectè colligi (vt hoc ipsum aliqua similitudine, cum bona piorum omnium venia, illustrem) Carolus V. summus Imperator in Germaniam, Hispaniam, Belgium, & Italiam ius summum habuit, eodemque tempore exercuit: Ergo idem ubique in illis locis, & prouinciis carne, corporeque suo præsens aderat. Quis, inquam, istud rectè dici concesserit? Certè ne Selenecerus quidem ipse (quemadmodum exi-

stimo) quanquam à Dialecticorum præceptis in argumentando, humanaeque rationis sano iudicio alienus, qui vtrique videtur bellum indixisse.

SELNECCERVS pag. 32.

*Obijcitur nobis autoritas D. Philippi, quòd is in Colossen. cap. 3. scripserit, Ascendisse Christum ex loco inferiori ad superiorem, in Cælum, hoc est, in locum Cælestem quem Paulus nominat Sursum, ubicunque sanè ille sit: & Christum corporali locatione in aliquo loco esse, ut antiquitas locuta est.*

DANAEVS.

Non vnus certè Philippi, sed infinitòrum penè etiam ipsorum Selnecceri sociorum testimonia illi obiicimus: atque adeò ipsius Lutheri, si modò ea, quum aduersus se faciunt, non repudiat Selneccerus. Ac de Philippo nullo modo dubitari potest, quin postremis cogitationibus suis nobiscum de Coena Domini senserit, quum aperte in nostram sententiam, & in Epistola ad Illustriss. Principem Fridericum 3. Comitem Palatinum, & in commentariis in Epist. Pauli ad Coloss. scripserit. Itaque à bonis istis discipulis in toto Nouæ Doctrinæ corpore à se nuper Bergæ conscripto, Philippi scripta damnata fuerunt, tanquam isti corporali carnis Christi præsentiae aduersa. Heshusius ille, quem

*Philippus pro nobis.*

*Heshusius pro nobis.*

quem omnes nobis maximè aduersatum esse sciunt, tamen vi veritatis coactus, libro de Eucharistia corpus Christi per ascensionem in certo Cœli loco esse oportere confessus est. Sic enim scribit, *Libenter accipimus Christum Physica locatione visibiliter sursum corpus suum sistulisse, & cœlesti aliquo loco collocasse. Necessè est enim fateri, corpus in cœlo certo spatio concludi.*

Martinus Kemnitiuſ tantopere quidem *M. Kemnitiuſ pro nobis.* ab ipſo Selneccero laudatus, vt ſolus è Germaniſ Theologiſ ſapere videatur: vmbriſ autem par cœtera turba, adeoque ipſe Iacobuſ Andreaſ cenſeatur, in Repetit. doctrinæ de Cœna Domini, *Manent*, inquit, *verba de aſcenſione in ſimplici, & propria ſignificatione, quòd ſicut Chriſtuſ viſibili, & Phyſica locatione, circumſcriptione ſui corporiſ ante aſcenſionem in terra verſatuſ eſt, hoc modo, & hac ratione uſque ad extremum non ſit conuerſatuſ in terra.*

Nic. Hemmingiuſ optimuſ Philippi diſcipuluſ in Syntagmate à ſe 1574. edito, ſic *Nic. Hèmingiuſ pro nobiſ* quoque ſcribit, *Adeſtne ergo corpùſ Domini pro nobiſ traditum, & ſanguiſ ipſiuſ pro nobiſ effuſuſ verè, & ſubſtantialiter in Cœna? Adeſt quidem, non ratione loci: Nam ſi locum ſpèctet, corpùſ Chriſti in cœlo eſt* *ἐν τῷ οὐρανῷ*: ſed ratione fidei hominiſ legitime utentiſ ſacræ Chriſti Cœna.

*Mart. Lu  
therus  
nobis.*

Denique Mart. ipse Lutherus, quem suæ  
sententiæ principem (sed quàm constanter  
& verè ipsi viderint) prædicant, sic tamen sa-  
pius scribit, *In Sacramento Eucharistia nihil  
amplius inueniri, uàm promissionem, & fidem.*  
Item in Serm. de Sacram. & fratern. In om-  
ni sacramêto tria hæc inesse docet, id est, Ex-  
ternum, & visibile signum. 2. Rem internam  
& spiritualementem. 3. fidem. *Hac fide, ait, nos serîo  
expetere, atque etiam firmiter credere, nullâque  
dubitatione tenere oportere, sicut sacramentum  
promittit, & significat, ita quoque nobis accide-  
re, ut cum Maria dicere possimus, fiat mihi secun-  
dum verba, & signa tua.* Hoc idem in Serm.  
de Nouo Testam. repetiit. In Syngrammate  
Sueuicarum Ecclesiarum, quod ab ipso Brē-  
tio, huius Vbique præsentis carnis Christi  
postea propugnatore acerrimo conscriptum  
est, hoc ipsum confirmatur.

*Brentius  
in Syng.  
pro nobis.*

In confessione denique Boemicarum Ec-  
clesiarum cōmendatur. Atque vtriusque scri-  
pti doctrinæ subscripsit, & pro sua haberi  
Lutherus disertis verbis voluit, vt quid Lu-  
therus senserit, ipsi intelligant. Hæc tot sunt  
ex media ipsius Selnecceri societate, & ca-  
terua, qui nobis fauent, ipsumque oppugnant  
manifestissimè. Itaque quum nos, nostram-  
que de Ascensione Christi in cœlum, & ibi  
Sessione eiusdem ad dexteram Patris inter-  
pretationem damnat, optimos præceptores  
suos proculdubio condemnat: & eorum do-  
ctrinam

etrinam, vt falsam, palàm traducit : quam ta-  
 men se laudare, retinere, amplectique velle,  
 & hîc, & alibi profitetur : sic nimirum homo  
 iste, & leuis est, & inconstans : & quum illis, fi-  
 bique placere vult, displicet. Itaq. quòd idē PAG 33.  
 ait non rectè sic cōcludi, Christus ita in cœlū  
 ascendit, vt suum corpus ab his terris sub-  
 duceret: Ergo nullo modo secundum huma-  
 nam suam naturam adest præsens Ecclesiæ  
 in Cœna sua, in eo Selneccero assentimur.  
 Non enim sic docemus nullomodò in Cœ-  
 na sacra præsentem esse ipsam essentialē  
 Christi carnem, & sanguinem. Est enim, sed  
 homini ex fide sumentis: non autem signo  
 præsens. Nam ad hominē, non ad signa ver-  
 ba Christi diriguntur. Est efficacitate qua-  
 dam peculiari, & *uiuifici illius sue carnis &  
 sanguinis cibi communicatione* sed spirituali,  
 ipsis credētibus signo vtentibus præsens: Nā  
*Selnecceriana illa*, id est, corporali præsentia  
 neque signis, neque hominibus ipsis signum  
 sumentibus præsens adest: aut exhibetur i-  
 ipsum essentialē Christi corpus. Et quod  
 Selneccerus excipit, *Nonit Christus per suam  
 omnipotentiam, & sapientiam modos, per quos  
 presentia illa corporali, carne & sanguine in  
 Cœna adesse possit,* est elumbe. Neque enim  
 de omnipotentia Christi, vel sapientia: sed  
 de illius voluntate inter nos quæstio est,  
 quam eam esse, vt polliceatur se dignis & in-  
 dignis corporali ipsius carnis suæ essentia-  
 lis præsentia in Cœna adesse, constanter &

verè ex Dei verbo pernegamus. Præterea ne hoc quidè ipsum, quod ait Selneccerus, Christus velle potest, nimirum ne mentitus esse videatur, quum se filium hominis, id est, verum hominem, vera humana carne, sanguine, & anima constantem & præditum esse affirmat. Neque enim qui verè homo est, potest pluribus in locis corpore & sanguine suo præsentia corporali simul adesse.



SECUNDVM EXEGE-  
sis argumentum, quod refutare conatur Selneccerus.

EXEGESEOS pag. 19.

*Persona est substantia indiuidua, & incommunicabilis,*

*Ergo nihil substantiale ex corpore Christi deceditur, & nostro adicitur.*

**H**OC argumentum cōtra confusionem substantiarum carnis Christi, nimirum & nostræ, ex communicatione spiritali, quæ fit in cocna Domini, à Silesio, & Skuenfeldio inductam, oppositum in se torqueri credidit Selneccerus; vel quòd eandem sententiam probat ipse, quam tamen à se remouere conatur.

natur: vel quòd ex personæ Christi vnitae  
 Ubiquepræsentiam carnis Christi, quam æ-  
 dificare vult, destrui videt. Itaque sic ad hoc  
 Exegesis argumentum ipse respondet.

SELNECCERVS pag. 34. & 35.

*Responsio. Persona definitio in Eccle-  
 sia non impedit institutionem, & volun-  
 tatem, & omnipotentiam Christi. Et  
 paulò post, Nec verò quisquam est tam  
 insulsus & stolidus, qui dicat, aliquid sub-  
 stantiale ex corpore Christi decidi, & no-  
 stro adijci.*

DANAÆVS.

Cur igitur si illi errori minimè faues, &  
 assentiris Selneccere, quæ contra eum pro-  
 feruntur solida argumenta refutare, & tan-  
 quam in te vibrata tela auertere conaris?  
 Certè magnam illius hæreseos horrendæ  
 labem tibi, tuisque omnibus aspergis, dum  
 quasi ista argumenta ad te, tuosque perti-  
 neant, declinas, & fugis, & in te tuosque di-  
 cta fuisse, vel meritò dici potuisse, cogitas. Sed  
 vt ad Selnecceri responsionem veniamus,  
 & nos ipsi fatemur id verū quod excipit, insti-  
 tutionē, ac voluntatem Christi impediri non  
 posse: sed hoc neque instituit, neque voluit  
 Christus: vt quicquā de Physica carnis suæ  
 mole detraheretur, & delaberetur in eos, qui



in Cœna sacra ipsius corpori ex fide commu-  
 nicant. Dixit enim ipse de carnis suæ mandu-  
 catione agens, *Caro non potest quicquam, verba*  
*Iouan. 6. que loquor vobis, spiritus, & vita sunt.* Ergo  
 quum sit hæc nostra cum carne, & sanguine  
 Christi communicatio mere *ὑπερφορητική*, il-  
 lam per carnis particulas quasdam ex perso-  
 na Christi defluentes, & in nos transfusas, vel  
 agglutinatas fieri: atque substantiarum confu-  
 sionem statui, minimè gentium est intelligē-  
 dum. Præclarè enim Cyprianus, *Nôstra*, ait,  
*& Christi communicatio, nec miscet personas, nec*  
*vnit substantias: sed affectus confociat, & confœ-*  
*derat. voluntates.* Hoc sibi vult exegesis: tu  
 eam refutare conaris. Vide igitur, fatissime  
 fanus sis, Selneccere, aut quid agas, qui ope-  
 ram das, vt te iam quoque Skuenfeldianum  
 esse credamus?

Cypr. in  
 lib. de cœ-  
 na Dom.

SELNECCERVUS pag. 35. & 36.

*Nequaquam enim fit diuulsio natu-  
 rarum, aut decisio aliqua de corpore Chri-  
 sti, quum dicimus corpus Christi manduca-  
 ri. Sed presentiam intelligimus de tota  
 persona Christi Dei, & hominis: manduca-  
 tionē verò ad verba institutionis alligatam  
 esse scimus, que sunt, Edite, hoc est corpus  
 meū, &c. Et paulò post, Neg. n. fingimus  
 Christū de sua persona sumere vel totū cor-  
 pus humanū, vel aliquot particulas, & di-  
 stribuere inter māducantes, sed simpliciter  
 reti-*

*retinemus institutionem, & propterea non disputamus de hac, vel illa via, quæ rationi vel absurda, vel plausibilis videatur.*

D A N A E V S.

Duo quædam incommoda, & ἄτοκα præfensit Selneccerus hoc loco, quæ ut è Pontificia transsubstantiatione: sic ex ista consubstantiatione, seu corporali essentialis carnis, & sanguinis Christi præsentia cum signis, quam tuetur Selneccerus (quæque transsubstantiationi omnino affinis est) oriuntur. Nã & iisdẽ rationibus nititur vtraque illa transsubstantiatio, & consubstantiatio nimirum: & in easdem blasphemias incurrit. Denique ex Pontificiorum scriptis, nempe tum Petri de Aliaco lacunis, tum Iuris Canonici putidis fontibus hausta est ista consubstantiatio nis sententia, vel ipso Luthero teste. Ex eo igitur quod dicitur corpus ipsum Christi adesse cum signis, & orali manducatione sumi, ac edi, primùm quæritur, vtrùm sola humana natura Christi adsit illâ corporali præsentia cum signis in cœna Domini? Secundùm, vtrùm illa Christi caro, & sanguis essentialis corporalis præsentia modo cum signis coniunctus per frustra, & particulas participetur, quemadmodum signa ipsa (quibus adhæret) per particulas, & frustra populo distribuuntur? Hæc duo ex sua quidem sententia iustè quæri posse vtrique animaduertunt, & Pontificii, & Vbi-

*Glâ. in cæ  
no. species  
in verbis  
quæ ante  
de consec.  
distinc. 2.*

*Can. quid  
est: & Ca  
no. hoc est,  
de consecr.  
distin. l. 2  
ibid. Can.  
cùm fran-  
gitur. Et  
Can. vbi  
pars est.*

& Ubiquistæ. Quæ cum grauissima sint incommoda, neutri tamen, vt oportet, huic malo medentur. Pontificii, imprimisque Canonistæ in prima quæstione explicanda variè se torquent, quemadmodum apparet ex Glâ. Cano. Quid est Christum. Et Canone, hoc est quod dicimus de consecratione distinct. 2. In secunda etiam non minus æstuant. In Canone cùm frangitur, & Can. vbi pars est, ibidem: a deo vt scelerata hæc quæstio inter eos ipsos rixosè propter infaustam illam transsubstantiationem tadem agitur, vtrum (vtar enim eorum ipsorum verbis) pes, & natus corporis Christi sint in Eucharistia coniuncti. Videte pii omnes, quò tandem blasphema illa opinio homines istos abripuit. Selneccerus hîc vtrâque illam incommoditatem obiici sibi posse monet, sed obscurius: neutram tamè explicat, nec se inde expedit. Sed dicâ quod res est, vt hominè ex his tantis angustiis in quas se prudens coniecit, liberem. Cùm quæritur, cui rei in S. Domini cœna, Pane, & Vino fide vescentes propriè communicemus, planè & perspicuè respondendum est, Ipsimet carni, & sanguini D. N. Iesu Christi: non autè propriè, & per se illius deitati. Quanquam enim vnica hæc persona Christus, est & verus Deus, & verus homo, & quanquam idem ipse vtraque illa natura, non altera tantùm constans, est factus Mediator noster: tamen diuinarum & sacrularium illius gratiarum non sumus participes, nisi quia humanæ ipsius naturæ .i. carni & san-

& sanguini, seu viuifico illius velut succo, & spiritui communicamus. Illæ enim salutare gratiæ quanquam ex Christi deitate, tanquã vera scaturigine sua, fluunt, & manant: tamen non nisi per interuentum, & communicationem humanæ ipsius naturæ ad nos perueniunt. Ergo hæc ipsa res est, quæ non signis quidem ipsis, sed hominibus fidelibus cœna Domini per fidem vtentibus propriè præsens adest, sed tamen non præsentia corporali: nempe ipsamet, & essentialis caro, & sanguis Christi vnigeniti filii Dei. Mirabiliter enim ex abscondito deitatis Christi fonte in ipsius carnem vita infusa est, vt inde ad nos deflueret, non substantiarum commixtione, non carnea ipsius mole, aut particulæ eiusdem in nos transfusione: sed communicatione, & participatione ipsius viuifici Christi spiritus, & virtutis, quæ in tali *ὄψισαμένω*, ac homine (qualis Christus est, & quidem vnicus) omnes illius actiones ciet, regit, gubernat, & *οἰκονομεῖ*. Ex quo satis intelligitur propriè carnem ipsam, & sanguinem Christi: non autem deitatem ipsius per Panem, & Vinum cœnæ spiritua-liter nostræ fidei offerri, repræsentari, exhiberi, ac per consequens carnem illam, & sanguinem propriè *ἐνεργεία*, & *χέουσα* peculiari nobis, non verò signis præsentem adesse. Sed quoniam illa caro, non quatenus simpliciter humana caro est. fit nobis viuifica: sed quatenus est vnigeniti

*Cyrillus & Calu-  
nus in ca.  
6. Ioānis.* Filii Dei caro (quem admodum vbique in Ioā-  
nem, & præclarè quidem Cyrillus, & post Cy-  
rillum Ioan Calvinus demonstrant) idcirco  
non simpliciter carnem, & sanguinè in sacra  
cœna communicari, præsentemque nostræ  
fidei adesse dicimus: sed Carnem, & sangui-  
nè Christi, id est eius, qui verè simul & Deus  
est, & homo. Christus igitur, quatenus est  
Deus, & in cœna adest, & vbique: ac quidem  
in cœna sua etiam peculiari, & illustriori quo-  
dam modo: sed Christus quatenus est homo  
ille à deitate in personæ vnionem assumptus,  
propriè nobis in Cœna communicatur, ac ip-  
sius Caro & sanguis (vt etiam cum Luthero  
*Iuth. in  
Serm. de  
Sacram.  
& frat.  
anno Do.  
1519.* loquar) per signa, & sacramenta cœnæ signifi-  
cantur. Et hæc quidem ad quæstionem, quid  
propriè nobis, non autem signis, vel cum si-  
gnis: nec item præsentia corporali præsens  
adlit, à nostris verissimè respondetur.

Quòd autem ad decisionem, sectionem,  
vel diuisionem carnis Christi in frustra, & par-  
ticulas (quæ est secunda quæstio verè, & Sel-  
neccero, & fociis negotium facessens) certè  
*Andr.  
Musculus  
in arti. de  
cœna Do.  
postre. se-  
ctiōne.  
Act. 3.* Andreas Musculus sedens Francoforti ad O-  
deram perspicuè scribit errare eos, qui negant  
quicquam substantiale ex corpore Christi decidi,  
quod nobis communicetur. Ex quo apparet cõ-  
municationem istam carnis Christi frustrula-  
toriam, & per particulas substantiæ ex ipsius  
corpore decisas à Selneccero, & fociis (quic-  
quid Seln. verbo hîc neget) statui, ac proba-  
ri. Nam ipse Andreas Musculus vnà cum  
Sel

Selneccero in corpore illo nouæ doctrinæ parturiendo (quam plerique viri pii ex effectu Pandoram vocant) inter principes extitit. Ergo ex ista corporali essentialis sanguinis, & carnis Christi In, Sub, & cum signis cœnæ, præsentia alterutrum sequitur, quod rectè ipsi etiam scholastici animaduertent: sed (quoniam erat inextricabile) fortiter præterierunt: nimirum vt vel ipsum essenziale corpus Christi sit totum in singulis huius Panis particulis (& ita plura essentialia Christi corpora sub eodem Pane delitescent): vel vt totum Christi corpus in toto tantùm Pane insit: adeò vt pars corporis Christi, parti & frusto illius Panis respondeat, atque ita fracto, distributòque Pane in particulas frangatur quoque ipsum essenziale corpus Christi in particulares. Quæ duo absurda in Cano. Cum frangitur de consecra distinct. 2. anxie disputata sunt. Quid igitur ad has omnes obiectiones Selneccerus: Os nobis oblinere se posse veteri illo suo coccyfimo putat, *Simpliciter retinens institutionem*: sed quam institutioni de corporali præsentia cum signis interpretationem affingis, Selneccere, ea te ipsum iugulat, & docet id necessariò consequi, quod nos obiicimus, quòdque non refutas. Nam Andreas Musculus fraterculus tuus hæc admittit, & te confodit, & fidem facit verè, non calumniosè à nobis tantùm absurdum ex vestris sententiis colligi. Itaque iterum ad ista redi, atque diligenter animaduerte, neque

nos, aliósq̄ue pios clausis oculis, Antabatarum more, tua legere, aut tecum pugnare existimes.

SELNECCERVUS pag. 36.

*Est etiam sanguis ibi, ubi est torpus, & à sanguine corpus non diuellitur. Et tamen Christus iussit primùm accipi corpus, & dein de sanguinem: híc si quis decisionem corporis à sanguine fieri existimet, stolidum eum esse Christiani pronuntiabunt.*

DANAEVUS.

Hoc est tertium ἀτοπον, & quidem gravissimum, quod ex sua sententia necessariò quoque, ut alia superiora, sequi prævidet quidẽ Selneccerus: sed cui tamen non respondet. Quid enim subiicit? *In verbis institutionis acquiescendum est.* Hoc quidem verum, sed si nõ ita explicatur, quemadmodum tu falsò iudicas, ut corporalis ipsius essentialis corporis Christi præsentia cum Pane, & vino Cœnæ ex illis verbis statuatur. Nam ex hac corporali carnis præsentia sequitur tum illa à Pontificiis rectè animaduersa absurditas, *incomitantia* appellatur, quæque (quoniam necessariò sequebatur) ab iis ipsis admissa est: tum hæc, ut qui cœnæ Panem duntaxat sumpserit (quoniam cum Pane etiam orali manducatione, iuxta Selneccerum, ipsummet & essentialia Christi corpus præsens sumpserit) sanguis

sanguinem quoque simul sumpsisse dicatur: propterea quòd ipsum essenziale Christi corpus præfens adesse sine suo sanguine nusquam potest. Hæc necessariò sese consequuntur, siue Transubstantiationem, siue Consubstantiationem, ex illis institutionis verbis statuunt homines. Quæ incommoda & labes cum videat in sua sententia Selneccerus, sed leui brachio detergat potius, quàm propellat, aut refutet, agnoscunt pii omnes ipsius sententiam falsam esse, & minimè (vt ait Irenæus) orthodoxam.



AD TERTIVM ARGV-  
mentum Exesis.

*Exegesis pag. 19.*

**N**Vllis testimoniis diuinis hoc doceri potest (nempe partem aliquam substantiæ ex corpore Christi dec. se nobis infundi) Nam inhabitatio nullam commixtionem substantialē ponit. Propositio cœnæ est locutio sacramentalis, vt paulò pòst docemus. Dicta etiam de manducatione carnis Christi sunt intelligenda de interiori spiritali renouatione, non de transfusione reali carnis, sicut eodem in loco dicitur, *Caro non prodest quicquam.* Et Paulus apertè ponit distinctionem,



quum inquit, *In Christo habitat, diuinitas σωματικῶς*, id est, realiter: in aliis tantum effectiué. Hæc ab Exegesi dicta sunt aduersus Silesium, & Skuenfeldium, qui substantiarum, nempe carnis Christi, & nostræ, confusionem in cœna Dominica induxerunt. Sunt autem solida argumēta. Primùm quod illa locutio, qua docemur in cœna Pane vescentes sumere corpus Christi, est sacramentalis. Ergo nõ docet substantiam corporis Christi confundi cum nostra substantia: sed eam esse à nostra disiunctam. Secundùm quod Christus ipse optimus suorum verborum interpres dixit

*Ioan. 6.*

*agens de carnis suæ manducatione, Caro non prodest quicquam. Ergo ipsa moles substantiæ carniæ Christi, non est ea, quæ nos viuificat. Tertio verò loco respondet Exegetis ad objectionem Silesii, & Skuenfeldii, quæ fuit hæc: In cœna, & per cœna communicationem Christus in nobis habitat: ergo fit substantiæ Christi, & nostræ in nobis ipsi confusio: vel ex corpore Christi aliqua particula decisio fit, quæ in nos infunditur.*

*Coloss. 2.*

Respondet Exegetis: Ista inhabitatio Christi in nobis nullam huiuscemodi commixtionem substantialem ponit: hoc confirmat Exegetis dicto Pauli discrimen statuentis inter inhabitationem, qua λόγος in Christo inhabitat, & in nobis. Nam in Christo λόγος inhabitat σωματικῶς, & realiter, vnione nempe hypostatica efficiens vnã in eo personam: in nobis autem tantum ἐνεργητικῶς, & effectiué: quia non substantiam ipse suam in nos transfundit.

fundit cum in nobis inhabitat: sed salutaria, & immensa dona (quæ ex viuifico carnis ipsius spiritu, ac virtute pendent) nobis infundit, & largitur. Hæc tantum tria Exegeos argumenta hîc à se commemorata in se dici posse sentit Selneccerus. Itaque ea tantum refutare conatus est: & primum ne intelligens quidem illorum scopum, sic proponit, vt in eo ipso bona fides à Selneccero desideretur.

Ait enim Selneccerus. pag. 37.

*Caro non prodest quicquam, Ergo inutilis est manducatio substantialis corporis Christi.*

Item,

*Propositio Cæna est locutio Sacramentalis. Ergo corporalis presentia, & manducatio non habet locum.*

Item,

*In Christo habitat diuinitas realiter: in aliis effectiue: Ergo nulla est substantialis manducatio corporis Christi.*

D A N A E V S.

Vel non intelligit Selneccerus superiora illa argumenta Exegesis: vel præuaricatur. Quæ sit autem eorum vis, supra diximus: nunc breuiter cum ea, quam illis Selneccerus affingit; mente sunt conferenda:

Nam conqueritur ipse, sed perperam, hęc ab Exegeta multa misceri: & , pro more suo, bonum, solidumque argumentum excipiens *putandum* appellat. Sic igitur respondet primo huius loci argumento Selneccerus.

SELNECCERVS pag. 38.

*Quis enim Christianorum equis auribus feret dici de Christi corpore, & sanguine, Caro non prodest quicquam. Tantundem enim hoc est dicere, ac manifestè si his verbis quis vteretur, caro Christi nihil prodest: corpus, & sanguis Christi nihil quicquam profunt. hęc verò quis audiet benignè? Et paulò post (nā cōiugia more suo interferit) caro enim Christi est viuifica, & sanguis Christi emundat nos ab omni peccato, & vulneribus Christi sanati sumus.*

DANAEVS.

*Ioan. 6.*

Dixit Exegetis, *Caro non prodest quicquam*, iuxta sententiam Christi seipsum explicantis. Ergo verba Christi de manducatione carnis ipsius, non de reali, & carnali substantiarum confusione: de interna, inquam, & spiritali animi renouatione sunt intelligenda. Hęc Exegetis: quibus quid veriùs esse possit, non video. Selneccerus autem hoc argumentum, & mentem Exegetis inuertens, sic recitat.

recitat. Caro non prodest quicquam, ergo inutilis est manducatio substantialis corporis Christi. Primum præuaricatur. Nec enim de manducatione substantialis carnis Christi hîc agit Exegetis: sed disputat contra substantiarum confusionem propter *νομινα* corporis Christi à Silesio. & Skuenfeldio primum fabrefactam. Deinde etiam cum de manducatione carnis Christi agitur: non sic tamen ineptè, ex illo Christi dicto argumentatur Exegetis, sed longè solidissimè, & verissimè: sic nempe. Dicit Christus suæ carnis manducationem explicans, *Verba que loquor vobis spiritus, & vita sunt: caro non prodest quicquam.* Ergo nulla carnea moles carnis Christi cum signis præsens corporali præsentia adest: Nullus denique carnalis nostræ cum Christi carne communicationis, & manducationis modus fingendus est: sed spiritualis, & qui fide fiat. Quid hac collectione tum solidius, tum verius dici potest? Ergo non id dicimus, quod Selneckerus nobis ipse ex suo astringit, nempe inutilem esse substantialis carnis Christi manducationem: imò verò vnà cum Christo dicimus, & profiteremur, quod ex ipso didicimus? *Nisi quis manducauerit* Ioann. 6. v. 53. *meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in se.* Quæ verba de ipsa carne. & ipso sanguine Christi esse intelligenda planè defendimus. Ergo

non tantum vtilem, sed omnino, id est, necessitate etiam (quam vocant) absoluta necessariam esse veram veræ Christi carnis, & sanguinis manducationem asserimus iis omnibus, qui in æternum salui fieri volunt: sed spiritualem & per fidem. Quamobrem in eo calumniari iam desinat Selneccerus. Propterea tamen admitti, & probari posse corporalem carnis, & sanguinis Christi cum Pane, & Vino cœnæ præsentiam (propter quam vnam à se tantopere adamatam Helenam nostrum hoc argumentum refutare conatus est Selneccerus) pernegamus. Cur verò? Quia vera veræ illius Christi carnis manducatio fide fit, & spiritu. Nam verba Christi spiritus sunt: & signa ipsa Cœnæ idcirco tantum instituta sunt, ac sumi præcepta, vt sint illius spiritualis nostræ manducationis ἀφ' εὐσείας, ὁμοιωθῆς, & non ὁμοιωθῆς τὰ τὸν. Quid igitur? Quomodo ipse ad hoc argumentum respondet?

SELNECCERVS pag. 38.

*Christus quidem inquit, Ioan. 6. Caro non prodest quicquam, eo sensu, quo Paulus, inquit, Animalis homo nō percipit ea, quæ sunt spiritus: atque adeo max subicit Christus, Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo. Sed hæc omnia quid ad Cœnam, siue ad veram corporis Christi manducationē? de nostra carne loquitur Christus, non de sua.*

Da-

Si hæc Christi verba ad carnis ipsius Christi manducationem non pertinent : cur ab iis igitur vrgeri se sentit Selneccerus ? Sed qua fronte, obsecro, potuit negare Selneccerus illa Christi verba ad veram corporis ipsius manducationem pertinere ? Cùm contrà Christus de sua ipsius carne disertè concionetur eo loco. Nam veram veræ suæ carnis, & sanguinis manducationem potúmque illic exponens Christus ipse hæc verba addidit, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.* Ioan. 6. v. 53. *Verba que ego loquor vobis, spiritus sunt, & vita.* Solem ipsum meridie lucere potuisti negare, Selneccere, qui hoc ipsum negare ausus es tam apertū ? Denique locus ipse aspiciatur, & statim falsi arguetur Selneccerus. Sed quâ elaberetur, rimam certè quidem aliam non habuit. Verùm ad cœnam Dominicam, ait In lib. Confutat. Accusatio. idem alibi, hæc verba nihil spectant, quia nõdum Cœna instituta erat. Quasi verò aut alia Christi caro, aut alio modo eadem ipsa substantialis Christi caro in cœna à piis edatur, quàm quo modo illic explicat Christus, nempe fide : sed in cœna sigillum tantum, confirmatioque visibilis, nempe signum à Christo additum est, quo fieremus de illo tanto invisibili, incomprehensibilique nobis beneficio certissimi. Itaque ad eam carnis Christi manducationem, quæ etiam in cœna ipsa fit, explicandam illa Chri-

sti verba maximè pertinent. Sed nec hoc ipsum diffiteri iam potest Selneccerus, qui duplicem, ad huius Exegesis argumentum solutionem afferat. Primam: *Carnis* vocem pro animali homine illic sumi, qui ut non potest arcana Dei sine spiritu Dei nosse: sic neque substantialem Christi carnem edere potest absque spiritu Dei, id est, non nisi id agente spiritu in ipso edente. Quorsum igitur tua illa corporalis carnis, & sanguinis Christi cum Pane, & vino præsentia, quam nullo modo requirit Spiritus sanctus ut veram carnem Christi nobis, animabusque nostris in cœna communicet? Secunda Selnecceri solutio hæc est: verba hæc Christi, *Caro non prodest quicquam*, non de ipsa Carne Christi, sed de nostra esse intelligenda, quæ non prodest quicquam ad illam carnis Christi manducationem. Cur igitur oralem manducationem tantopere vrges, & defendis, ad quam certè caro nostra omnino necessaria est? Sed quis hoc concedet Selneccero, verba ista *Caro*, &c. non de carne Christi, sed de nostra sumi, & intelligi oportere? cum & Christus ipse de se illic loquatur, non de nobis: & statim postea de ascensione istius carnis suæ, non nostræ in cœlum agat, & suum illud dictum probet, *Caro non prodest quicquam*. Denique oportet istum hominem vel omnino eum Ioann. locum non inspexisse: aut insigniter impudentem esse; aut denique oscitantem hîc, aliudque

que agentem ista scripsisse: qui sic apertè, ex ipsis Christi verbis: narrationis ferie: Ioānis recitatione: totius antiquitatis, quæ illa verba de carne Christi, nō autem de nostra semper intellexit, consensu refellatur. Ergo ad alia transeamus. Respondet autem Selneccer. secundo argumento, quod in eadem sectione habet Exegeſis.

SELNECCERVS pag. 38.

*Quod ad secundum Enthymema attinet, concidit illud sua sponte, etiam non admota manu. Etpaulò post rationē addens, Nos sacramentalem locutionem, & sacramentalem præsentia, sacramentalem etiam manducationem esse in cæna docemus, & non pugnamus de vocabulis: imò planè spirituale, hoc est, inuisibile, & inuisibile præsentiam, & manducationem esse diceremus, nisi statim pars altera hoc vocabulum Spirituale, accipiens de corpore absente nouas nobis turbas daret.*

DANAÆVS.

Quomodo verè de vocabulis non pugnat Selneccerus, primùm qui τὸ ἄνθρωπον præcisè vrget, & totum suæ sententiæ fundamentum in verbo illo vnico, *Est corpus*, collocat? Deinde, qui vocabulum hoc, *Spirituale*, admittere. & vsurpare non audet: qui denique sacramentalē locutionē contendit nihil aliud



significare, quàm quod grammaticaliter so-  
 nat? Ista certè non religio est, sed in verbis su-  
 perstitio, vi certarum vocum corpus Christi  
 de cœlo detrahere, & corporaliter in his ter-  
 ris statuere: ad ipsam autem Christi mentè,  
 ad veram Sacramentorum definitionem, ad  
 veterum Patrum orthodoxorum sententiam  
 non recurrere, aut aspicere. Quanquam vti-  
 nam Selnec. in ipsa sacramentalium locutio-  
 num vi, & significatione perpendenda dili-  
 gentior fuisset, certè ista noua monstra nobis  
 minimè peperisset. Cæterùm & illud quoq.  
 quæro, quomodo sacramentalem, & locutio-  
 nem & præsentiam Selneccerus admittat, qui  
 illius vim, propriamque notionem negat. Sa-  
 cramentalis locutio, & præsentia ostendit nõ  
 tantùm signum, quod est terrenum quiddã,  
 à re signata, quæ spiritualis est, essentiã differ-  
 re: sed & loco, & situ, & interuallo distare: cum  
 signum in terris: res autè signata in cœlis pro-  
 priè nobis quærenda sit. Nam idcirco signũ,  
 seu sacramentum aliquod à Deo nobis datũ  
 est, vt esset rei ab his terris absentis, solòque  
 spirituali modo quæredã, ac adipiscendã te-  
 stimoniũ ac sigillũ. Ergo cum sacramentalẽ  
 locutionẽ, & præsentiam admittit, & simul cor-  
 poralẽ ipsius carnis Christi cum signis coenæ  
 præsentiam defendit Selneccerus, secũ ipse ma-  
 nifestè pugnat, seq. euertit. Deniq. quomodo,  
 deinde quam verè statuit aliquam esse corpo-  
 ralem veri corporis Christi in his terris præ-  
 sentiam, quæ tamen nobis præsentibus,  
 & in-

& inuisibilis, & insensibilis sit? Aut enim phā-  
 tasma, & spectrum quoddam sit corpus il-  
 lud Christi necesse est: aut leuissima quæ-  
 dam moles, qualis prima quædam à philoso-  
 phis fingitur Materia sine colore, sine quan-  
 titate, sine qualitate: aut denique illud cor-  
 pus esse *ἀφανὲς* nobis dicat oportet, & quod  
 oculi nostri teneātur, ne illud Christi corpus  
 etiam quum nobis præfens adest, cernere  
 possint. Hæc tot incommoda ex sua senten-  
 tia de inuisibili & insensibili essentialis car-  
 nis & sanguinis Christi præsentia, & cor-  
 porali sequuntur, quæ nec refutat, nec abster-  
 git Selneccerus: ita nimirum iam Lipsiæ se-  
 curus regnat. In quo certè minimè iam con-  
 sentit cum Luthero Selneccerus, quoniā ille *Luthe. in*  
 verè & piè à Berengario in extorta illa pa- *conf. ma-*  
 linodia dici putat, *Corpus ipsum Christi ab e-*  
*dente sensualiter, & dente ipso atteri & frangi:* *gna de*  
*iste verò hanc eandem manducationem in-* *propof. i-*  
*sensibilem esse scribit. Concordet igitur, cō-* *dentica*  
*sentiātque primùm cum præceptore suo di-* *Can. Ego*  
*scipulus, deinde nos oppugnet.* *Berenga.*  
*De con-*  
*secr. disti.*  
*2.*

## SELNECCERVS pag. 39.

*De Sacramentis, & horum substantia, &  
 usu iudicandum est non ex generalibus re-  
 gulis, aut ex thesi tantum: sed ex propria  
 vniuscuiusq; institutione, & disertis Chri-  
 sti verbis.*

Quum sibi conscius esset Selneccerus fe-  
 dicis tantum causa sacramentalem locutio-  
 nem & praesentiam, & manducationem con-  
 cessisse: ad hanc alteram superioris argumen-  
 ti solutionem trepidus confugit, *Non esse  
 nimirum ex generalibus aliorum verorum Sacra-  
 mentorum regulis de Coena Domini iudicandum.*  
 Quid igitur? Certè Coena Domini per Sel-  
 necc. vel iã non est sacramentũ, vel nõ est hu-  
 iusmodi sacramentũ, quod vera veri sacramen-  
 ti definitione cõprehẽdatur. Quid audio Sel-  
 neccere? Siccine quæ tribus antè lineis cõces-  
 sisti, esse nempe in Coena *Sacramentali* locu-  
 tionẽ, iã immemor illius tuæ tã recẽtis oratio-  
 nis tã repentẽ negas, & ita dubius vacillas, vt  
 quò te vertere possis nescias, & quid sit con-  
 cedẽdum, quid negandũ, non animaduertas?  
 Vide quãta vis sit veritatis, quæ te per illa ab-  
 surda, quæ dicis, tanquã saluberrima flagella,  
 ad se reuocat, nisi te Prinatatus in Germani-  
 cis ecclesiis obtinendi libido illa ambitiosa,  
 & de eo ipso acerrima iam tua cum Iacobo  
 Andrea contentio suscepta transfuersum a-  
 geret, cæcũque efficeret: Sed audiam quid  
 addas. *In Coena, ais, ex disertis Christi ver-  
 bis est nobis iudicandum.* Quis negat? Sed  
 illa Christi verba ad communem sacramen-  
 talium locutionum, & praedicationum regu-  
 lam sunt & mihi, & tibi exigenda, per quam  
 res signata à signis corporali praesentia abesse  
 intelligitur, & colligitur. Tu nõ putas. Nam  
 ex

ex Pōtificiorū deliriis (in quæ planè tu tuūq. reciditis) didicisti in Cœna, seu Eucharistia verba institutionis ad ipsa elementa dirigi, in aliis sacramentis non itē. Itaque in Cœna rē signatam adesse corporali præsentia: in baptismo autem, vel veteris Testamenti Sacramentis non itē. Hic est enim obscuræ, & astutæ Selnecceri orationis planus, & perspicuus sensus, vt iam satis appareat eum & in Pontificiorum sententiam delabi, & referre ipsa verba Christi, (quicquid verbo vel hîc neget vel antea negarit) ad ipsa Cœnæ signa: nō ad homines ipsos ex fide vescentes. Denique quòd noui, & veteris Testamēti sacramenta putat Selneccerus differe *quoad substantiā*, & quòd itē ait à Christo discriminē constitutum esse inter substantiam Baptismi, & Cœnæ Dominicæ, (etsi res eadē est vtrisque Sacramenti, nēpe Christus) in eo certè quidē vel toto cœlo fallitur: vel impropriissimè loquitur. Voluit dicere, & fortasse ex Caluino meminerat, externa forma, signis, vel ritu differre ista inter se: sed non pugnat scilicet Selneccerus in re tanti momenti, & quæ errorē grauissimū parit, de vocabulis: *Substantia* vocabulū illi ipsam qualitatem, & rem externā sonat, & significat contra Dialecticā Augustini, & Patrū omniū (qui ad hunc vsq. diē de his reb. rectè, & orthodoxè locuti sunt) perpetuū vsū. Nōs tamē Selneccero suas peculiare inauditāsque phrasas cōcedentes cum crudita, & pia vetustate aliter, & proprie

loquamur, vt Sacramēta Veteris & Noui testamenti quoad substantiam minimè inter se differre contendamus.

SELNECCERVVS pag. 41.

*Ad tertium Enthymema quod attinet, nulla est coherētia. Paulò post, Nec enim de diuinitatis inhabitatione in nobis, nisi quod ad fructum, & efficaciam salutarem attinet, nec de unione hypostatica duarum in Christo naturarum hoc loco loquimur: sed de verbis institutionis agimus, hoc est corpus meum.*

DANAEVS.

Hinc apparet nunquā Selneccerum fuisse assecutum illud ipsum, quod tamen refellendum suscepit. Exegesis contra substantiarum confusionem ex communicatione nostra cū Carne Christi inductam, docet Christi inhabitationem, (quæ ex ea cōmunicatione colligebatur à Silesio) non esse rei, id est, ipsius substantiæ corporeæ, & carneæ Christi imixtionem, aut infusionem in nos: Ergo neque illius substantiæ, & nostræ confusionem: sed nostri cum carne Christi spiritualem cōsociationē & viuifici humanæ Christi naturæ spiritus velut succi participationem à nobis factam, idcircoque eam esse ἐνεργῆσαι tantum Christi in nobis ἐνελκισσιν: non autem

Ioann. 1. ἕως ἄρτι λέω οὐκ ἔσται, vt loquitur Ioānes qualis

lis tamen in Christo facta est diuinæ, & humanæ ipsius naturæ coalitio. Hæc omnia aduersum se dici putat Selneccerus, quoniã ex sua sententia idẽ monstrũ nasci intelligebat, quod ex blasphemo illo Skuëfeldii errore. Itaq. huic argumẽto Exegefeos respõdere conatur, sed frustra. Tandem enim sic ipse concludit. *Quòd si quidam urgent etiam de corpore Christi non posse aliter dici quàm quòd effectiue in nobis habitet, & si admodum improprie, & periculosè quidam ita loquuntur, tamen etiam hoc concedimus suo modo.* Ex quo apparet eum & Exegefi subscribere: & Iacobi Andreae sententiam de effusione gratiarum Deitatis Christi in sanctos obscure conuellere, quoniam Selneccerus hĩc concedit Deitatem in sanctis habitare tãtũm ἐνεργῆταιως, quod nos quidem dicimus: Iacobus autem Andreas obstinatè, & tamẽ falso, negat: sed quomodo in Christo inhabitat, sic in sanctis esse: præterquã quòd nõ omnes suas proprietates deitas in sanctos effundit, quem admodum omnes in Christi humanam naturam effudit.



AD QVARTVM AR-  
gumentum Exegetis.

SELNECCERVS pag. 42.

*Eodem modo Patriarchæ, & credentes  
in veteri testamento saluati sunt, quo nos  
saluamur.*

*Illi autem non habuerunt Cœnam, aut  
corporalem participationem corporis Chri-  
sti, quia natura humana à Christo nondum  
erat assumpta.*

*Ergo corporalis unio nulla est.*

Exegetis pag. 19.

*Ergo illa vera corporalis unio, vel trās-  
fusio nulla est.*

DANAÆVS.

Selneccerus in præmissis quidem (vt vo-  
cant) quanquam verba Exegetis non habet,  
sententiam tamen illius retinuit: in conclu-  
sione verò prorsus immutat, & paralogifi-  
cum τῆς ἀμφιβολίας (magnum in argumētando peccatum) committit. Nam in verbis  
istis *corporalem participationem, & corpora-  
lis unio* (quæ ambigua esse hîc ipse pagina  
44. postea confitetur) pneriliter ludit, quarū  
mentem, qualis est in ipsa Exegeti, vel non  
perspicit,

perspicit, vel malignè diffimulat. Itaque ea vocabula, quò omnis istius fraudis occasio tolleretur, prudenter addita hac voce *Transfusio*, in ipsa Exegesi explicata sunt, vt intelligeret pius lector pro transfusione corporis Christi in nos hoc loco sumi: ex qua nascitur, fingive potest aliqua substatiæ carnis Christi, & nostræ inter se mixtio, cõfusio, colligatio, conglutinatio, aut nostra & deificatio, quos omnes errores in Cœna Domini Silesius, ac Skuenfeldius, homines stolidissimi imaginati sunt. Præterea tamen minimè ab Exegesi negatur fieri à nobis spiritualis & vera cum corpore, & sanguine Christi communicatio: imò etiam conceditur fieri corporalem vnionem, si modò ad rem ipsam, quæ nobis credentibus in Cœna communicatur, vocem *Corporalis* referas. Sic enim disertis verbis hoc ipso loco (vnde ista transumpsit Selneccerus) habet ipsa Exegetis, quæ tamen magna præuaricatione dissimulauit. Sunt igitur hæc ipsius Exegetis verba pagina 19. *Inter ea tamen con-* Exeget. *stanter retinemus propositiones antiquitatis,* pag. 19. *Illi, & aliorum. Vt timur Christo non solum vnione spirituali, sed etiam corporali. Item pa. 30. Exeget. Ex his perspicuū est, quomodo duplex nobis cum pag. 30. Christo sit vnio, id est, spiritualis, & corporalis. Insuper enim nos per fidem humanæ Christi naturæ, tanquam surculos trunco ex Irænao fatetur Exegetis, nimirū vt ex ipso Christo qui mediator noster est, id est, à Deo, &*



homine in nos lux diuina propagetur: & mētis, voluntatisque nostræ regeneratio doneatur: licet quandiu hîc viuimus, vtraque sit in nobis imperfecta. Quamobrem quum Exegetis neque neget nostram cum ipso corpore, & sanguine Christi vnionē: sed ipsius tantum substantiæ carneæ in nos trāsfusionem, ac confusionem: neque veram & spiritualem ipsius essentialis carnis Christi participationem, sed corporalem tantum illius cum Pane & Vino in his terris præsentiam, & adiunctionem, seu cohærentiam: Selneccerum hoc locò vel calumniari, vel in Exegetis mēte recitanda præuaricari luce meridiana clariùs est. Videamus tamen quid ad hoc argumentum respondeat.

SELNECCERVS pag. 42.

*Responsio. Conclusio ita fieri debebat: Ergo non est opus Cæna. Si enim Exegetes rectè procederet argumentando, necesse esset eum sententiæ suæ conclusionē hoc modo, quo diximus, inferre.*

DANAEVS.

Mirum est hominem istum, qui tantopere humanam philosophiam, atque omne rectè compositæ mentis, ac rationis humanæ iudicium, & leges vbique detestetur, iam tamen tam pulchè dialecticam (quæ est istius rationis humanæ & formandæ, & dirigendæ regu-

regula ab humana philosophia cōstituta) didicisse, vt aliis normam argumētandi audeat præscribere. Sed fallitur. Sic enim fuit colligendum, quemadmodū Exegesis intulit. Neque de Coena Domini tollenda, & abroganda: sed de transfusione substantiarum (quam iste tacite, & in sinu fouet) confutanda ageretur. Quod ab Exegesi doctissimè tandem, & verissimè effectum est. Sed iste quid addit?

SELNECCERVS pag. 43.

*Responsum autem satis est ad hoc quoque argumentum, quod ille putat esse validissimum. Et paulò post, Nam de spirituali manducatione, qua credentes in Veteri, & in Nouo testamento conueniunt, hic nulla est controuersia. De verbis autem institutionis, quæ facta est in Nouo testamento ab ipso filio Dei, agimus.*

DANAEVS.

Si tu nobis assentiris, nostramque sententiam probas in ea manducatione, qua Patres sub veteri Testamento, & ante humanam naturam à λόγῳ assumptam, carnem tamen Christi ederunt, sanguinemque ipsius biberunt, certè iam, vel teipso teste, constat etiam quum illa Caro, & sanguis Christi minimè adest corporali præsentia, participari tamen à nobis ex fide posse, quod confiteri piaculū tibi in tota hac disputatioe fuit. Patres enim

illi præsentem corporali præsentia carnem  
 Christi nequaquam tunc habere poterāt, cui  
 tamē, te assentiente, communicabant: ex quo  
 falsam esse superiorem tuam sententiā per-  
 spicue iam intelligis. Quod enim ad solitum  
 tibi *ἁποστολῆς*, & notas latebras confugis,  
 dum nobis *institutionis verba* obiicis, nihil te  
 iuuat. Nam & petis principium, qui verba il-  
 la id significare sumis, quod magno animi  
 errore finxisti: & quorum alius, & quidē ve-  
 rissimus sensus tibi iam sæpius à nobis de-  
 claratus est. Sed cū nihil haberes, quod ro-  
 bustissimo illi argumento opponeres, fingis  
 & huic iam à te satis responsum esse: & in eo  
 tibi nobiscum rectè cōuenire. Quod falsum  
 esse superior tua disputatio luculenter osten-  
 dit. Nā quod nos dicimus esse falsum, tu ve-  
 rum esse contendis, in quo nulla esse potest  
 nostra consensus. Denique quod tandē quasi  
 partā de nobis victoria, & solus in arena re-  
 lictus, iuueniliter exultas, addis que hæc, va-  
 lut summum triumphi tui ferculum, *Verba*  
*Christi, hoc est corpus meum, inuicta esse, & cor-*  
*pus, & sanguinem Christi in Cæna exhibe-*  
*ri vescentibus pane & vino, ideoque Panem à*  
*Paulo nominari nouitiam corporis, & eum de*  
*omnibus, qui Pane, & vino utuntur siue vescuntur,*  
*dignis, & indignis loqui, tibi ad ea responde-*  
*mus, & laudes, quas tibi tribuis, detrahimus.*  
 Manere quidem inuicta, & in perpetuum in-  
 uicta mansura ipsius Christi verba, *hoc est cor-*  
*pus meum* concedimus: tuæ verò illorū ver-  
 borum interpretationis monstrū iacere, &  
 verbo

verbo Dei, & ex perpetua sacramentorū ana-  
 logia, & ex Patrū orthodoxorū consensu, quæ  
 sunt fortissimæ machinæ adhibitæ, & à no-  
 bis victū, confossum, superatū, & debellatum  
 iam esse manifestè cuius apparet. Quod ne  
 tua obstinatione reuiuiscat; curandum tibi  
 Selneccere, etiam atque etiam est. Paulum  
 autem ipsum pessimè corrumpis: dum scri-  
 bis eum nominare Panem κοινωvίαν corporis  
 Christi: vinum κοινωvίαν sanguinis, quoniam  
 omnibus Pane isto, & Vino ilto vtentibus, si-  
 ue dignis, siue indignis ipsum & essentialē  
 corpus Christi detur (hic enim ambigū, &  
 timidæ orationis tuæ planus est sensus) at-  
 que communicetur. Exhibetur quidem, id  
 est, offertur omnibus iis, qui istis signis in  
 Coena domini vescuntur, ipsa de communi-  
 catione veri & essentialis corporis & sangui-  
 nis Christi promissio: effectum verò eius, id  
 est, ipsa realis cōmunicatio cum vero illo &  
 essentiali corpore Christi fit à solis dignis,  
 idque fide, nō orali manducatione. Indigni  
 enim sola signa sumunt, i. Panem & Vinum  
 Coenæ, etsi ea quidem non vulgaria, sed ve-  
 ri & essentialis corporis & sanguinis Christi  
 sacramenta promissionis, συμβολα, propter  
 quod corpus, & sanguis Christi (etiam dum  
 indigni iis vescuntur) appellētur, quæ admo-  
 dum docet Augustinus. Ex quo fit, vt indi-  
 gnè illa signa sumentes, iudicium sibi man-  
 ducant, & bibant, non discernentes corpus  
 & sanguinem Domini.

August.  
 in epist. ad  
 Bonific.  
 1. Cor. 11.

*Idem si nobiscum Exegetes diceret, iam esset composita omnis controuersia. Nos dicimus Christi corpus adesse in Cœna præsens ut accipiatur & edatur. Ille verò cum suo manipulo inquit quidem corpus Christi esse præsens, non quoad substantiam. In Cœna ergo ipsi significat, non in Cœna: sed in Cœlo materiali alicubi sursum in ubi incerto adesse corpus Christi.*

## D A N A E V S.

Certè si de Cœna Domini Selneccerus & focii ipsius nobiscū sentirēt, & verè sentirēt, & omnis hæc tam luctuosa, tamque diuturna controuersia iaceret sepulta, atque pace Ecclesia Dei frueretur, quam isti magno suo exitio inturbant. Cur inter nos autem nõ cõueniat, hæc ratio est, quicquid hîc obscure, & timidè multa ex priore sua sententia dissimulans, vel truncans dicat Selneccerus. Ille cum fociis dicit Christi corpus adesse in Cœna cum signis ipsis corporali ipsius essentialis carnis Christi præsentia. Nos dicimus eam præsentiam, qua ipsum Christi corpus adesse signis statuitur, esse *germinis*, non corporalem. Ille dicit ipsum corpus vnicum Christi vno & eodem tempore & in terris, & in cœlis esse. Nos in Cœlo tantum tantquam augustissimo domicilio nunc quidem istud habitare, & esse dicimus. Ille ait ipsum  
essen.

essentiale corpus Christi promiscuè dari in Coena dignis, & indignis. Nos autem ipsa illius corporis, & sanguinis signa duntaxat indignis dari: sed & signa, & corpus ipsum Christi dignis, diuerso tamen vtraque modo, tradi. Signa quidem manu, & corporali præsentia; corpus autem ipsum Christi per pronationem Christi, & fide sumi. Denique quòd inuidiosè ait nos negare Christi corpus præfens adesse in Cæna *quoad suam ipsius substantiam*, & antea copiosè refutauimus, & nunc quoque, (ne in eo errore perseveret) ei respondemus, vt tandem mentem nostram capiat, si potest. Nimirum nos concedere ipsam carnè Christi & viuificum illius spiritum, & succum re ipsa, dum ex fide signis vescimur, nobis communicari: præsentiam tamè illius corporalem, vel extra signa, vt Pontificii faciūt: vel cùm signis, vt Selnecceriani, Iacobandreami, & Vbiquistæ defendunt, statui vel posse, vel debere pernegamus. Intellextin' ià Selneccere, vt in posterum de nobis nostraque hac sententia nihil detrahas, illique nihil addas?

SELNECCERVS pag. 46.

*Bella admodum, & pulchra Pandora est, quòd fingunt animas nostras ascendere super cælos cælorum. atque ibi sugere, & haurire vigorem, virtutem, efficaciam, & vitam, que deorsum ex corpore Christi, tan-*

*quam abstractum aliquod à substantia, ad nos in terra deriuetur.*

## DANAÆVS.

Duo nobis hîc affingit, vel pro more suo, vel vt se in nobis calumniâdis oblectet Selneccerus. Primùm velle nos, vt reipsa animæ nostræ ad supremum cœlum ascendât, vt illîc communicemus Christo. Sed & hic ipse communicationis modus, Selneccere, planè corporeus, Physicus, atque adeò crassus, & terrenus est, per quem rei ipsius corporalis præsentia necessariò requiri intelligitur. Qui modus perpetuò à nobis, vt tute scis, negatur. Præterea de spiritali nostrâ cum Carne Christi communione talia quædam cogitare non est hominum Christianorum, & qui superna sapiant: sed qui terrena tantùm, saxeorû nempe & prorsus *ψυχῶν*. Secundùm, fingit ille nos velle, vt aliquid à substantia corporis Christi abstractum ad nos illîc in cœlo cōstitutos per Cœnâ deriuetur. Sed hoc ipsum quoq. proximè & plixè ipsa Exegesis refutauit, quemadmodû vidimus: & illi refutationi nos lubentissimè subscribimus: etsi nos veræ carni & sanguini Christi id est *σώματι* nimirum ipsi Christi spiritali modo & per fidem cōmunicare dicimus. Itaque ab hoc vtroque errore tam longè absumus, quàm ipse Selneccerus à vera huius communicationis intelligentia. Ergo dicimus, & quidē vsitata toti sacræ scripturæ phrasi, & figurata nos *fide euehi oportere in Cœlum, ubi*  
figu-

Christus est *sedens ad dexterā Dei Patris*. Primum ut omnē carnalib. cogitationib. ac imaginationibus in ista spirituali communiōne, omnib.que item diffidentiis nostris ansam præcidamus. Deinde ut intelligamus Christum, qui tantum hoc beneficium nobis disertè pollicitus est, esse & omnipotentem & benignissimum: omnipotentem, qui posset: benignissimum, qui velit comunicās illis spiritualiter suam carnē viuificare, ac cōseruare omnes eos, qui certa fide in ipsius promissis acquiescūt. Quòd autem Selneccerus, Theologiæ professor Electoralis, & quidem Lipsiensis, tam insuetā putat hanc nostrā figuratam rationem loquendi de vi & effectis fidei, ut eam *concinna imaginationē cōtumeliosè* appellet, quæ tamē ut figura & tropo ornata est, sic ex ipsa scriptura disertè à nobis trās scripta: ecce illi similes scripturæ locos proferimus, ut desinat mirari. In Epist. ad Hebr. <sup>Hebra. 4. ca. 16.</sup> cap. 4. v. 16. *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur gratiā. Phil. 3. Nos enim ut municipes cœlorū nos gerimus, unde etiam Seruatorō expectamus Dominū Iesum Christū. Heb. 6. Quā velat animæ anchorā habemus,* <sup>Philip. 3. v. 20. Hebra. 6. v. 20.</sup> de fide loquēs *tutā, ac firmā, & ingredientē usq; in ea que sunt intra cœlū. Quò præcursor pro nobis ingressus est Iesus. Col. 3. itaq; si resurrexistis cū Christo superna querite, ubi Christus est ad dexterā Dei sedens.* Denique eodē & illud Ps. 85. <sup>Coloss. 3. v. 2. Ps. 85. v. 2.</sup> *pertinet. Fides è terra germinabit. Ex quibus facile cuiuis intelliget nos & piè, & orthodoxè loqui, cū dicimus Christianos etiam hīc*



viuentes, fide tamē in cœlum subuehi. Quod  
 certè non de reali migratione, aut situ corpo-  
 ris, aut animæ nostræ emissionē in cœlum:  
 sed de ἐσθρῶντιμῆ, & peculiari nostra cū Deo  
 coniunctione accipi debet. Denique ne non  
 satis conuitorum in nos dixisset, tandem in  
 calce operis huius varias quasdam variorum  
 opiniones recenset, quas nostrorum esse vult,  
 & bonam causam nostram omnibus modis a-  
 pud ignaros prægrauat, tam est pacis amans,  
 & disputator ingenuus Selneccerus. Sed quid  
 mirum est Selneccerum nostris conuitari, &  
 leuitatis notā impingere, qui in vltima hu-  
 ius libri pag. eandem suo Luthero (quem ta-  
 men vnum cunctis mortalibus præfert) a-  
 pertè inurit, dum eum anno 26. 27. & 28.  
 minimè eiusdem fuisse sententiæ scribit, cu-  
 ius anno 19. 20. & 21 fuerat: quod his primis  
 annis nostram sententiam probarit: illis au-  
 tem annis sequentibus (tanquam postero-  
 res Lutheri cogitationes, vt est in prouerbio,  
 factæ essent sapientiores) impugnarit. Quid  
 quod Deum ipsum Bezæ succensurum esse  
 censet Selneccerus, quoniam idolum illud  
 Missalium Papistarum, numen, & Deum  
 fursuraceum, & Panaceum Beza nominauit?  
 quod Selneccero adeo displicet, vt ne voca-  
 bula quidem hæc ipsa, scilicet modestus, vel  
 timidus homo, possit, vt ipse fatetur, *non hor-  
 rescens referre*: tam est nimirum Pontificio-  
 rum, & Iesuitarum imprimis factus iam ami-  
 cus, quibus tamē Chemnitius ipsius delitiæ,  
 bellum

bellum ἀποδοξῶν indixit. Miræ certè istius hominis artes, qui modò Pontificis fauet: modò in nostra castra transire se simulat vellet: modò Lutheri sententiam probat: modò illius inconstantiam in hoc argumentando declarat. Denique,

*Quo teneam vultus mutantem, Prothea nodo?*

Sic est ποικίλος, id est, versipellis, ambitiosi, primatùmque contra Iacobandrea in Germania venantis istius hominis ingenium. Et certè mirantur omnes, quòd cùm superiori anno 1578. (quo ipso vnà cum Iacobo Andrea ad Nouæ doctrinæ corpus compingendum amicè coniurarat) hoc scriptum ediderit, atque hîc Lutheri, Brentii, Principis Georgii Anhaltini, Chemnitii, & similium (id est, Cythræi, Andreæ Musculi & Heshusii) honorificam mentionem fecerit: ipsius tantùm suæ sectæ coryphæi, nêpe Iacobi Andreæ doctoris tam opulenti, & Domini Stukardiæ Præpositi memoriam prorsus sepultam esse voluerit. Sed hæ sunt simultatis, aut inimicitiarum potiùs (quas grauissimas cum eo gerit) flammulæ, quæ postea maiora, & luctuosiora per totam Germaniam incendia excitabût, quia sibi Saxoni tantùm primatus Saxonicarû Ecclesiarû bolum è faucibus ab isto Sueuo & homine extraneo esse ereptû non fert patienter D. Elector, Selneccerus. Ergo tanquã cum Bitho Bacchius, sic paristud gladiatorum nimirû Selneccerus & Iacobus Andreas in hoc de gloria certamine

incedendum Pontificiis spectaculū præbebunt. Ne autem temerè de Selnec. petulantia conqueri cupiam videremur, voluimus ipsius profirema penè in hoc libello verba subiicere, ex quibus intelligēt pii omnes, qui sint istius hominis in nobis immeritò, & calumniosè prosciendendis Theonini, & Lycambeï flores.

SELNECCERVVS pag. 49.

*Nos verò, ut conatus inanes istos hominum veritati resistentium, quales isti sunt, quàm leues, inconstantes, ἀνύλωτοι, ambigui, incerti, pendulī, timore Dei, & pietate plerumque destituti, atque odio immani, invidia, & ἀνύλῃ, aperia, timidi, arrogantes, superbi, magistratusq; contemptores, & deceptores, ad seditiosas machinationes præpti, atque proclines, & cruentis consiliis turgidi, & parum idonei ad ea, quæ S. sanctus sunt opera, & effecta, &c.*

DANAEVS.

Hæc sunt paucis quidem verbis: sed tamē multa in nos comitia, magna animi petulantia & intemperie vibrata, quæ Dominus illi condonet. Ab his enim nos non tantum nostra coram Deo conscientia, sed ipsa vitæ nostræ ratio satis apud omnes mortales notat purgat. Quales autem ipsi sint, ex operibus eorum cognoscent fideles: quemadmodum nobis hanc optimam de hominibus iudicandi rationem præscripsit ipse Dominus noster Iesus

fus Christus. Vnum hoc dicam, nisi iã nimis  
 opibus, nimioque otio & luxu feriretur, ac  
 lasciuiret Selneccerus, atque aliquot pauci ip  
 sius focii, futuram iampridem fuisse tranquil  
 lam totã Germaniam. Hãc igitur vnã videri  
 optimis quibusque viris istorum coercendo  
 rum rationem, si præter victum, & vestitum,  
 eumque moderatum, (qualem Pastores, & do  
 ctiores verè Christianos, vt ait Paulus, decet)  
 nihil istis ad tãtam lasciuiam, fastum, & Præ  
 posituras suppeteret. Vt autem omnes intel  
 ligant, quæ opinionum monstra foueat in si  
 nu Selneccerus, operæ pretium facturum me  
 existimaui, si ipsissima illius verba ex libro *Cõ  
 futatio Accusationum* in Responsione ad Ac  
 cusat. XXV pag. 327. transcriberem, & hãc  
 pro colophone adderem. *Christus, ait, visibili  
 ter ad mensam suo corpore affidet, certo loco, & ni  
 hilominus discipulis dat, idem corpus inuisibile,  
 & inpalpabile, non habens visibilem figuram, id  
 est, visibiliter non longum, non latum, non subli  
 me, non profundum, non molle, non durum, non al  
 bum, non rubiculum, & tamen Apostolis datum.  
 Quod etiam vt illi accipere possent, & accipere  
 se scirent, Dominus adiecit corporis figuram, nem  
 pe Panẽ, vt magnitudo Panis, mollities, durities,  
 & color essent iã figura corporis Christi, quod illã  
 visibile, & sensibilem figuram humanam, quã in  
 alijs hominib. conspiciamus, & accidẽtia visibilia,  
 & externa exuerat, quam ob causam Tertullia  
 nus nominauit Panẽ figurã corporis. Quid dete  
 riùs vllus Iesuita scriberet? Dñs Deus & huic,*

1334174

& aliis sanam mentem, melioresque cogitationes ad laudē sui nominis, & Ecclesie suae pacem magna sua per Christum misericordia largiri dignetur. Valde Selneccere: & me Christiano animo, quemadmodum equidem te diligo, complectere. Anno Do. 1579.

die XV I I. Iunii.

Genevæ.



### Errata.

Pag. 52. lin. 18. post verb. probaserunt adde *omni*. p. 55.  
l. 2. praetextus *que* situs. p. 57. *γνισθαι*. p. 59. l. 28. *Hesbuff*.  
p. 60. l. 11. *obstinatos* homines. p. 61. l. 9. *εραπει*. p. 63. l.  
23. *distinctione*. p. 64. l. 2. *creavit mundum*. p. 77. l. 20.  
*perfectum*. p. 78. l. 9. *& verum*.

ocn 29143665

